LIBRARY OF CONGRESS.
Chap. BT1480
Shelf .I5
UNITED STATES OF AMERICA.

608

SYMBOLARUM AD VITAM ET DOCTRINAM LAELII SOCINI ILLUSTRANDAM

PARTICULA I ET II.

AUCTORE
CHRISTIANO FRIDERICO ILLGEN.

SYMBOLARUM
AD VITAM ET DOCTRINAM
LAELII SOCINI
ILLUSTRANDAM
PARTICULA I.

COMMENTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE

SUMME VENERANDI THEOLOGORUM ORDINIS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO LOCO

IN EODEM RITE OBTINENDO

D. XVI. MARTII. A. MDCCCXXVI. AB H. IX.

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

PUBLICE DEFENDET

CHRISTIANUS FRIDERICUS ILLGEN,

THEOLOGIAE DOCTOR EIUSDEMQUE PROF. PUBL. ORDIN. DESIGN., SOCIETATUM LIPSIENSIUM HISTORICO-THEOLOGICAE PRAESES, SCRUTATORUM ANTIQUITATUM PATRIAE MEMBRUM, ET REGIAE PHILOLOGICAE SODALIS HONORARIUS

ADSUMTO AD RESPONDENDUM SOCIO

CHRISTIANO ELIA SAUERTEIG,

HILPERTOHUSANO,

PHILOS. D. ET AA. LL. M., REV. MIN. CANDIDATO, ET SOCIETATUM LIPS. HISTORICO-THEOLOGICAE ET BIBLICO-EXEGETICAE SODALI.

1869

LIPSIAE

TYPIS FRID. CHRIST. GUIL. VOGELII.

BT1480
.I5

Praefatio.

Quum abhinc annos duodecim libellum meum: *Vita Laelii Socini*, in lucem proferrem, eoque publice defendendo in academia Lipsiensi scholas aperiendi historico - theologicas veniam mihi compararem, specimen vitae conscribendae me dedisse satis mancum imperfectumque, ab idea, quam animo mihi informaveram, longe remotissimum, probe mihi eram conscius. Verum quod non modo speraveram, sed ne suspicatus quidem fueram, id mihi contigit. Tanta enim humanitate et benevolentia opusculum meum a viris doctis exceptum tantaque lenitate et indulgentia iudicatum est, ut, quomodo grates rite agere possim, nesciam. Maxime vero sibi me devinxit Summe Venerandus Bengelius iudicio, quo illud dignatus est in Commentariis suis theologicis *), aeque subtili atque benigno. — Sed ingratissimi

*) *Archiv für die Theologie und ihre neuste Literatur. Herausgegeben von Dr. Ernst Gottlieb Bengel*, 1. Bandes 3. Stück, Tübingen 1816. 8. p. 712 — 747.

essem animi, si, hac occasione mihi oblata, et illa magni in me favoris documenta commemorare nollem summaque, qua par est, celebrare observantia, quae viri nonnulli solidae eruditionis non minus quam eximiae liberalitatis laude conspicui eo exhibuere, quod per literas comiter admodum ad me scriptas non solum ea, quae in libello meo minus recte exposita essent aut in praeteritis relicta, promte mihi significarunt, verum etiam, quae summa est eorum facilitas et humanitas, librorum, quos inspicere mihi non licuit, locos quosdam descriptos, imo vero literarum documenta hactenus incognita mecum communicarunt. Quare a me impetrare non possum, quin Bretschneidero, Fabero, Bibliothecae Regiae Regiomontanae curatori, Aug. Hahnio, Heubnero, Lunzio, Scholae Nicolaitanae, quae Lipsiae floret, quondam Conrectori, Moellero, Bibliothecae Gothanae custodi, Usterio ac Veesenmeyero, qui studia mea hac in re plus minusve adiuverunt, pium gratumque nunc palam declarem atque tester animum meum.

Quum autem in praesenti non maiori solum librorum vitam et doctrinam Laelii Socini spectantium apparatu, verum ipsius quoque et aliorum ad eum epistolis hucusque ineditis

instructus sim, quas tam Bretschneiderus opera Moelleri ex *Codice Gothano* No. 405., quam Usteri ex *Simleriana* literarum ad historiam ecclesiasticam pertinentium collectione, quae Tiguri servatur, descriptas transmiserunt: ab omni fere re paratior quidem mihi videor ad libellum meum multo castigatius auctiusque edendum. At vero quum in *Vadiana* etiam epistolarum collectione, quae Sangalli, et in *Huberiana*, quae Basileae asservatur, literae inveniantur, historiae meae plus lucis, opinor, allaturae, quas conferre nondum mihi licuit, ac praeterea illa monumenta inedita adhuc expectem, quae D. Georgius Sylvester, theologiae et historiae ecclesiasticae Professor in collegio Unitariorum Claudiopolitano in Transylvania, se mihi missurum esse tam officiose est pollicitus: illum laborem meum in aliud tempus differendum mihi ~~esse~~ duxi. Neque enim vereor, ne quis credat, eam, quam nuper Orellius breviter quidem, at eximie enarravit vitam Laelii Socini *), facere, ut longiore huius rei atque diligentiore expositione

*) *Laelius Socinus* von *Johann Kaspar von Orelli in Zürich.* Vide *Wissenschaftliche Zeitschrift, herausgegeben von Lehrern der Baseler Hochschule.* Zweiter Jahrgang, Basel 1824. 8. Drittes Heft. p. 28 — 58. *Coll.* p. 138 — 148.: *Ungedruckte Urkunden zum Leben von Laelius Socinus.*

possit supersederi. Interim tamen commentationibus nonnullis eas vitae et doctrinae Laelii Socini partes seorsum tractare constitui, quae accuratiore adhuc disquisitione indigent.

Quod nunc ad ipsam meam tractationem attinet, haec mihi princeps cura fuit, ut ab omni, quantum potui, partium studio alienus veram rerum narratarum indolem eruere eamque oratione exponerem non quidem eleganti et comta, sed perspicua tamen et ambiguitatis experte. Ipsam vero rem magnis sane multisque laborare difficultatibus, neminem facile vel mediocriter eruditum praeterit; quapropter sperare me posse confido, fore ut reperiam aequos atque benignos iudices.

Symbolarum ad vitam et doctrinam Laelii Socini illustrandam

Particula I.

De collegiis in agro Veneto, maxime Vicentiae, de religione institutis, quibus Laelius Socinus interfuisse perhibetur.

Prooemium.

Narrarunt scriptores quidam Antitrinitariorum familiae adnumerati, Andreas nempe Wissowatius iunior [1]), Christo-

1) in libello: *Narratio compendiosa, quomodo in Polonia a Trinitariis Reformatis separati sint Christiani Unitarii*, quem in scheda Ms. communicatum *Christoph. Sandius Appendici addendorum, confirmandorum et emendandorum ad nucleum* suum *historiae ecclesiasticae*, Coloniae (Amstelodami) a. 1678. 4. edito (cum ipse ille nucleus prodiisset Cosmopoli (Amstelodami) a. 1668. 8. et ab auctore locupletatus et emendatus Coloniae (Amstel.) 1676. 4. et 8.) inseruit p. 86 — 90., et anonymus quidam postea *Bibliothecae* quoque *Antitrinitariorum*, operi eiusdem *Sandii* posthumo, quod primum, at multo emendatius auctiusque typis exscribi curavit Freistadii (Amstelodami) 1684. 8., una cum appendice, historiam de Spiritu, Belga, exhibente, p. 207 — 217. adnexuit. (Hunc anonymum bibliothecae editorem Wissowatium fuisse, *Vincent. Placcius* in *Theatro Anonymorum et Pseudonymorum*, Hamburgi 1708. fol. p. 302. No. 1187. et *Henke Allgemeine Geschichte der Christlichen Kirche* T. III. ed. 4. p. 389. Not. a. opinantur; sed huic opinioni iam id repugnat, quod in bibliotheca illa p. 145. ipsius Wissowatii obitus

phorus Sandius iunior [2]) et Stanislaus Lubieniecius iunior [3]), circa annum post Christum natum MDXLVI. Vicen-

---

commemoratur, et p. 219 — 263. *anonymi epistola, exhibens vitae ac mortis Andreae Wissowatii* adiecta est.) Legitur etiam Wissowatii narratio in Andreae Wengerscii opere: *Libri quatuor Slavonicae reformatae*, Amstelodami 1679. 4. Ceterum *Frid. Sam. Bockius Historia Antitrinitariorum, maxime Socinianismi et Socinianorum*, T. I. P. I. (Regiomonti et Lipsiae 1774. 8.) Praefat. p. XIII., non Wissowatium, sed Ioach. Stegmannum (num seniorem an iuniorem iunuerit, nescimus) libelli illius auctorem fuisse, temere coniicit.

Ipse vero Andreas Wissowazzi a Szumki, eques Polonus et sacrorum apud Socinianos in Polonia minister, natus est Philipoviae in Lithvania an. 1608. die 26. Novembris, et mortuus Amstelodami in exilio a. 1678. die 29. Iulii. Vid. *Sandii Bibl. Antitr.* p. 145., anonymi epistola iam citata et *Bockii Hist. Antitr.* T. I. P. II. (1776.) p. 1010 sqq. — Andreas Wissowazzi senior, qui adhuc a. 1608. Philipoviensem Unitariorum coetum docebat, non fuit nostri scriptoris pater. Vid. Bockius T. I. P. II. p. 1009 sq.

2) tum in *Appendice ad nucleum hist. eccl.* p. 90., tum in *Bibl. Antitr.* p. 18 sq. 25. et 27. Pater eius, idem ille Christophorus, sed Philippi filius, Electori Brandenburgico a consiliis atque supremo et regiminis et appellationum iudicio a secretis fuit, quibus tamen muneribus, cum in haereseos incurrisset suspicionem, privatus est circa an. 1668. Filio superstes fuit, nam obiit an. 1686.; ille autem, qui Regiomonti natus erat an. 1644. die 12. Octobris, e vita iam excessit an. 1680. die ultimo Novembris Amstelodami. De utroque Sandio vid. *Sandii B. A.* p. 150 sq. et 169 sqq. ac *Bockius Historia Socinianismi Prussici*, Regiomonti 1754. 4. p. 55 sqq. et *Hist. Antitr.* T. I. P. II. p. 741 sqq. Uterque Sandius falso inter Socinianos relatus est, quum non tam Socinianorum, quam Arianorum doctrinae de trinitate faveret. Cf. *Bockii* libri ac loci citati.

3) in opere posthumo: *Historia reformationis Polonicae*, Freistadii (Amstelodami) 1685. 8. p. 38 — 40. Nam auctor, Stanislaus Lubienietzki de Lubienietz Rolitius, eques Polonus, natus Racoviae 1623. die 23. Augusti, muneribus postea ecclesiasticis apud Unitarios in Po-

tiae aliisque Venetae ditionis in urbibus haud paucos Italos, ingenio pariter et eruditione ac veritatis amore insignes, inter quos et Laelium Socinum, collegia et colloquia eo instituisse consilio, ut corrupta ab ecclesia religionis Christianae capita primaria, veluti de trinitate, de Iesu Christi satisfactione hisque similia purgarent ac simplicem eam restituerent in formam, qua exposita essent in libris sacris humanaeque persuaderent rationi; qua re patefacta nonnullos e sociis comprehensos et capitis supplicio affectos esse, ceteros vero fuga sibi salutem quaesivisse [4]).

Cui narrationi tantam subinde et Pontificiae et Evangelicae ecclesiae theologi fidem habuerunt, ut primam adeo Socinianae disciplinae originem ex collegiis illis repeterent. Primus, qui hac de re dubitasse videtur, fuit Gustavus Georgius Zeltnerus; nam optavit certe, ut accuratius in eius veritatem a viris doctis inquireretur [5]). Quod deinde factum esse video et a Io. Laur. Moshemio et a Wannfredo de Camben. Ille in re quidem ipsa nihil invenit, quod aegre credi

---

lonia functus, iam an. 1675. die 18. Maii exspiraverat Hamburgi in exilio, accepto veneno, incuria domesticorum, ut putatur, cibis immixto. Cf. Vita eius a filio adornata, quae libello commemorato praefixa est, *Sandius B. A.* p. 165 sqq. et *Bockius Hist. Ant.* T. I. P. I. p. 442 sqq. De Stanislao Lubieniecio seniori, nostri propatruo, coetus Luclavicensis Superintendente, mortuo a. 1633., v. *Sandius* p. 89 sq. et *Bockius* p. 441 sq.

4) Huius historiae num ante tres illos scriptores Sam. Przypcovius, eques Polonus, auctor *vitae Fausti Socini* (a. 1636. 4. editae huiusque postea operibus praemissae, quae *Biblioth. fratrum Polonorum* T. I. Irenopoli (Amstelodami) 1656. fol. continentur), qui iam a. 1670. mortuus est, mentionem iniecerit in *Historia ecclesiarum Unitariorum regni Poloniae*, ignoramus, quod hic liber MS., teste *Sandio Bibl. Ant.* p. 126., incendio periit.

5) Vid. eius *Historia Crypto-Socinismi Altorfinae quondam Academiae infesti arcana*, Lips. 1729. 4. Cap. II. §. 41. p. 321. Not.

posset, imo vero valde eam reddidit verosimilem; at in dubium tamen vocavit ea, quae cum de consultantium nonnullis, tum de ipsarum deliberationum ratione et argumento traduntur [6]. Hic vero, cum corrigeret errores quosdam in Chronici universalis Lipsiensis T. VII. [7]) obvios, totam illam de Vicentinis conventibus historiam, pagina 391 sq. narratam, falsam declaravit eiusque veritatem infringere adnisus est argumentis [8]). Quae tamen Moshemio non videntur satisfecisse; is enim tantum abfuit, ut suam postea sententiam revocaret, ut omnem suam disquisitionem, ne verbo quidem mutato, repeteret [9]).

---

6) *Institutiones historiae Christianae recentioris,* Helmstadii 1741. 8. p. 309 — 311. Not.

7) *Allgemeine Staats-, Kriegs-, Kirchen- und Gelehrten-Chronike*, 7. B. Leipzig 1739. fol.

8) *Wannfrieds von Camben Anmerkungen zu dem siebenden Band der Leipzigischen Universal-Chronick, in welchem von den Kirchen-Reformations-Geschichten gehandelt wird.* Quas adnotationes iam ante aliquot annos scriptas Ioh. Conr. Fueslin operis sui: *Beyträge zur Erläuterung der Kirchen-Reformations-Geschichten des Schweitzerlandes* T. III. (Zürich 1747. 8) p. 264 — 343. inseruit. Ad nostram rem pertinent, quae p. 326 — 329. leguntur.

9) *Institutionum hist. eccles. antiquae et recentioris libri* IV, Helmst. 1755. 4. et alter. edit. 1764. p. 712 sq. Not., ubi tamen miror, quod vir ille alioqui sagacissimus in eum induci se passus est errorem, ut contenderet, Fueslinum, non, ut vidimus, Cambenium contra hanc de origine Socinianismi narrationem quaedam disputasse. In eodem quidem errore versatum fuisse et *Bockium Hist. Antitr.* T. II. (1784.) p. 404 sq., et me ipsum, horum virorum auctoritatem secutum, in libello meo: *Vita Laelii Socini* p. 10. Not. 12., haud infitior: at ipso Fueslini libro accuratius nunc inspecto, rem aliter se habere intellexi, licet negaverim, ipsum Fueslinum amici sui adnotationes, ut omnes, sic hanc probasse. Cf. eius praefatio ad T. III. p. CX sqq. et T. V. (1753.) p. 416. eiusdemque *Neue und unpartheyische Kirchen- u. Ketzerhistorie der mittlern*

Multo diligentius autem altiusque Frid. Sam. Bockius rem indagavit; etenim non solum probare studuit, totam de clandestinis illis collegiis narrationem fide dignam esse atque veram, sed *Cambenii* etiam argumenta refutare et *Moshemii* dubitationibus respondere conatus est [10]). At vero quamquam multa collegit, quae ad historiam illam faciunt illustrandam eiusque veritatem firmandam, plura etiam recte ac subtiliter exposuit, tamen ad liquidum confessumque rem neutiquam perduxit.

Novam igitur eius accuratioremque investigationem non supervacaneam fore duxi; quae enim ante aliquot annos ad dirimendam eam protuli [11]), perpauca tantum sunt neque ita comparata, ut in iis nunc acquiescere queam. Ipsam vero rem dignam sane esse, quam diligenter perscrutemur, nemo facile negabit, qui non ignorat, quanti saepe referat, rei cuiusdam in facto positae, vel minimae, veram indolem e tenebris, quibus obfusa est, erui, in nostra autem causa secum reputat, tum demum posse quaestionem illam solvi, num primordia Socinianismi ex Italia derivanda sint, nec ne, cum exploratum fuerit, quid veri nostrae historiae insit, quid falsi.

Zeit, T. II. (Frankfurt u. Leipzig 1772. 8.) p. 135 sqq., praecipue Not 53. et 54., ubi simul librum affert, quem inspicere mihi non contigit, ita inscriptum: *Vier Sendschreiben an Seine Hochwürden, den Herrn Kanzler von Mosheim, betreffende den unglücklichen Spanier, Michael Serveto,* 1751., sine nomine auctoris ac loci, et memorat, in prima harum epistolarum de societate Vicentina disputari.

10) et in *Hist. Socinianismi Prussici* p. 1 sqq. et in *Hist. Antitr.* T. II. (1784.) p. 395 — 426. (Hunc tomum II. non in lucem prodiisse, cum MS. perierit, quomodo Summe Venerandus Vater *Allgem. Geschichte der Christl. Kirche seit dem Anfange der Reformation — zur Ergänzung des Henkischen Werkes,* Braunschw. 1823. 8. p. 219. Not. a. affirmare potuerit, non video.)

11) *Vita Lael. Soc.* p. 8 — 14.

Caput I.

Num Wissowatius, Sandius et Lubieniecius sint scriptores fide digni.

Ipsos historiae nostrae auctores esse viros fide dignos, persuasum mihi est; nam quamquam conventiculorum, quae commemorant, non fuerunt testes oculati, neque illis, quos deliberationum participes fuisse tradunt, aequales, sed multo serius vixere, tamen rem cognitam habere potuerunt. Et Lubieniecius quidem ipse fatetur [1]), se notitiam eius debere tam *vitae Laelii Socini curriculo* [2]), quam *commentariis MSS. Stanislai Budzinii* [3]). Ille vero in ipso consultantium numero habitus est, et hic *Ioannis a Lasco* (celeberrimi illius inter Lutheranos theologi, sed, quod Helvetorum doctrinae de sacra coena favebat, ab iis diu multumque vexati) et *Francisci Lismanini* (Fratrum Minorum in Polonia summi antistitis, qui ad ecclesiam Evangelicam defecit), quibuscum *Laelius* quam familiarissime vixerat, secretorum scriba fuit [4]). Wissowatius vero et Sandius, quos fontes adierint, non indicant. At nihil obstare video, quo minus sumamus, eos *Lubieniecii historiam* MS., utpote quae pluribus iam annis, priusquam typis exscriberetur, divulgata fuisse videtur, quin imo eosdem, quos

---

1) *Hist. ref. Pol.* p. 38.

2) Hic liber non superest.

3) *Commentarii rerum ad historiam Socinian. spectantium*, ad quos Wengerscius quoque provocat in *Slavon. reform.* Lib. I. 15. p. 124. II. 13. p. 207. 15. p. 229. Sandius hoc titulo eos affert: *Historia ecclesiastica eorum, quae in Polonia eique conterminis regionibus a primordiis reformationis usque ad an.* 1593. *in negotio religionis contigerunt. MS. Polonice*, et adiicit, partem huius operis periisse. Vid. eius *Bibl. Antitr.* p. 55. et Bockius T. I. P. I. p. 85.

4) Cf. Sandius et Bockius locis cit.

ille consuluit, libros consuluisse. Nam cum Wissowatii mater, Agnes Socina, *Fausti Socini* proles esset, eum certe usum fuisse *vitae Laelii Socini*, quem Faustus ut patruum ac praeceptorem tanti aestimaverat, *curriculo*, in familia Fausti haud dubie asservato, valde vero est simile. Sandium autem, si non hoc scriptum, tamen *Budzinii commentarios* MSS. adhibuisse, iam inde apparere mihi videtur, quod tam accurate titulum eorum affert [5]) eosque citat [6]). Ceterum nostrae rei notitiam hausit etiam ex *Wissowatii narratione* [7]) ac forte ex opere, ad quod saepe provocat, sic inscripto: *De falsa et vera unius Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti cognitione libri duo; authoribus ministris ecclesiarum consentientium in Sarmatia et Transylvania*, Albae Iuliae 1567. 4. [8]). Quod quidem scriptum, cuius auctor primarius, teste eodem *Sandio* [9]), Georgius Blandrata fuit, res quasdam narrat, historiae nostrae veritatem confirmantes, eoque magis hic in censum venit, quo probabilius est, ipsum eius auctorem Vicentinae societati fuisse adscriptum.

Atqui non potuerunt tantum tres illi scriptores, sed voluerunt etiam vera narrare, neque ulla fraudis in eos cadit suspicio; nam et vitae probitate et veritatis amore maxime sese commendarunt. Licet enim non contenderim, nunquam eos in scriptis, quae reliquerunt, a vero aberrasse, neque ullo abreptos fuisse studio, res, quas referunt, et dogmata, quae exponunt, Christiana suis ipsorum opinionibus accommodandi:

---

5) Vid. not. 3.

6) in *Bibl. Ant.* saepissime.

7) Integram hanc narrationem *Sandium Appendici ad nucl. hist. eccl.* intexuisse, iam in Prooem. not. 1. indicavi.

8) Cf. de hoc libro *Sandii Nucleus hist. eccl.* Ed. 2. Coloniae 1676. 4. p. 429. eiusdemque *Bibl. Ant.* p. 30 sqq. et *Bockius* T. I. P. I. p. 58 sq.

9) *Bibl. Antitr.* p. 24 et 25.

tamen semper hac in re suum tantummodo animi iudicium, quod verum habebant, secuti sunt, neque aliquid corrumpere aliosque fallere voluerunt. Qua enim cetera, quae composuere, scripta gaudent indole, haec eorum quoque est, quae hic respicienda sunt. Oratio nempe ubivis est simplex, clara, incomta nec fucata, ita ut fallaciae iure meritoque postulari nequeant. Nostram igitur historiam eos finxisse, saltem adulterasse, nemo suspicabitur, qui nullam consideraverit idoneam causam, quae suaserit, excogitari posse. Nam vel illa, quae veri videtur similior, voluisse eos Socinianorum familiam tum prioris originis, tum plurium martyrum splendore celebrare, non valet, cum, quae in agro Veneto pertractata esse dicuntur fidei Christianae capita, Socinianorum doctrinae, ut infra videbimus, non prorsus conveniant, ac magna sit inter ipsos viros, qui consultasse ibi de religione perhibentur, sententiarum diversitas, ut ne afferam, Sandio tale consilium eo minus adscribi posse, quo magis constat, Socinianis falso eum fuisse adnumeratum [10]. Ceterum qui ita iudicaverit, is non meminit, aut ignorat, Wissowatium et Lubieniecium, ut reliquos Socinianos, non ab ista, sed ab Apostolica potius aetate primam doctrinae suae originem derivare, ex collegiis vero colloquiisque Vicentinis id tantum repetere, quod dogmata quaedam Christiana, successu temporis maxime obnubilata atque corrupta, in pristinam restituta sint puriorem sanioremque formam. At hac tamen ratione fidem publicam plurimos Italos, nominatim Laelium Socinum, tunc temporis purgare studuisse, negari nequit. Hunc ipsum autem, vel Budzinium, primos nostrae narrationis auctores, commentum eam esse, quomodo quispiam sibi persuadere possit, non assequor.

Verum quidem est, nullum, quod equidem sciam, ex

10) Vid. Proem. Not. 2. p. 2.

Italis, qui hac vel proxima aetate vixere rerumque Italicarum, inprimis Venetarum, historiam aut epistolas conscripsere, rem illam diserte ~~non~~ afferre: sed, ut omittam, librorum eam narrantium facile creditu esse unum alterumve periisse, vel in bibliothecis latere nondum editum, certe non accurate inspectum, quam parum valeat hic quoque testimonium ex silentio scriptorum petitum, nisi probatum antea fuerit, rem quandam memorare eos *potuisse*, *voluisse*, imo *debuisse*, inter omnes constat. Quod tamen in illos, quos novimus, Italos scriptores quadrare, quis affirmare audebit?

Primum enim quaeritur, num res iis innotuerit, ut narrare eam *possent*. Nam collegia illa et colloquia clam occulteque in agro Veneto instituta esse feruntur, et, cum tandem detecta essent, sodales fugerunt paene omnes in alias terras; qui autem in hostium suorum potestatem venerant, statim ut haeretici et ab ecclesiae doctrina alieni sunt multati. Ipsi praeterea Pontificii sedulo cavisse videntur, ne quid eorum, quae in conventiculis illis contra publicam receptamque fidei formulam essent disputata, si quidem de iis compertum habebant, evulgaretur, illo potissimum tempore, quo nova evangelii lux, per Lutherum ac socios in Germania et Helvetia accensa, multorum quoque Italorum iam collustraverat animos, et parum aberat, quin plures Pontificiam superstitionem ac tyrannidem intelligerent. Maxime vero tunc temporis veritos esse Romanae curiae addictos, ne ista, si adversariorum suorum dogmata latius propagarentur, maiorem et dignitatis et adsectatorum iacturam faceret, pluribus quidem posset exemplis probari, sed unum adferre sufficiat. Gerardus nempe Busdragus, Episcopus Argolicensis et in Episcopatu Patavino Suffraganeus, qui, ut ipse fatetur, inter Venetos olim inquisitoris provincia functus erat, in epistola ad *Franciscum*, Cardi-

nalem Pisanum, Paduae d. XV. Decembris A. MDLVIII. data [11]): *In eo*, inquit, *tota res sita est, ne nostri Catholici intelligant, quid adversarii dicant; nam, ubi intellexerint, statim assentiuntur. — Atque id dolendum est, quod, quemadmodum corporum pestis, propter caliditatem coeli Italici, multo vehementior est et venenatior, quam ea, quae in Germania solet saevire, ita quoque Lutherismus, quem dixi pestem Papatus, si invaserit ingenia Italica, utpote calidiora et vivaciora, multo plus impetus et furoris habiturus est.*

Sed sumamus, Italos illos scriptores de Vicentina societate compertum habuisse, sane dubitandum est, num exponere tale quid *voluerint*, cum variae commemorari possint causae, cur

---

11) Epistola illa sub hoc titulo publicata est: *Exemplum literarum R. D. Gerardi Busdragi, in Episcopatu Patavino Suffraganei, ad Illustrissimum et Reverendissimum D. D. Franciscum, Cardinalem Pisanum. In quibus agitur, quanam ratione praeservari possit Italia, ne Lutherismo inficiatur.* — Editam quoque esse hanc epistolam a *Petro Paulo Vergerio, Bockius* T. II. p. 400. affirmat. Sed huius rei cum mentio non fiat in Vergerii scriptorum indicibus, a viris doctis diligentissime confectis (ut in *Bibliothea Gesnero-Simlero-Frisiana*, Tiguri 1583. fol. p. 679., in *Iacobi Verheidenii* opere: *Praestantium aliquot theologorum, qui Romanum Antichristum praecipue oppugnarunt effigies, quibus addita elogia librorumque catalogi*, Hagae Com. 1602. fol. p. 152 — 155., in *Christi. Aug. Saligs Vollständig. Historie der Augspurg. Confession und derselben zugethanen Kirchen*, T. II. (Halle 1733. 4.) p. 1148 sqq.), Bockius mihi videtur errasse et illam Busdragi epistolam cum Vergerii scripto satyrico: *Consilium trium Episcoporum Bononiae congregatorum, quod de ratione stabiliendae Romanae ecclesiae Iulio III. P. M. datum est*, quod et Busdragi nomen subscriptum habet, confudisse. — Busdragi vero epistola praefixa etiam est *Ioach. Ursini, Anti-Iesuitae*, (*Beerii s. Beringeri*, vid. *Io. Vogtii Catal. librorum rariorum*, ed. novissima, Francofurti et Lipsiae 1793. p. 891.) libro: *Hispanicae Inquisitionis et carnificinae Secretiora*, Ambergae 1611. 8. Cf. praeterea de hac epistola *Salig* T. II. p. 55 — 58. et *Bockius* T. II. p. 399 — 401.

nullam eius mentionem facere satius esse duxerint. Etenim aut non tanti momenti hanc rem esse censebant, ut posteris eam memoriae traderent, praesertim cum nihil novi fieret, sed quotidie fere in Italia in haereticos animadverteretur, aut, si patefacerent, in quaenam potissimum publice sancita fidei dogmata sodales illi liberius inquisivissent, valde timebant, ne plures adsensum darent, aut referre eiusmodi conamen ne audebant quidem, ne suam ipsorum salutem in periculum discrimenque vocarent.

Debuisse autem eos, cum ceteras res apud Venetos illo tempore gestas narrarent, et de conventiculis illis verba quaedam iniicere, nemo facile, quod equidem video, demonstrabit.

Caput II.

Num ipsa de collegiis Vicentinis historia probabilis sit, et quaenam eorum fuerit forma et ratio.

Quod ad ipsam nunc nostram historiam attinet, nihil fere ea continet, quod dubitare nos iubeat de ipsius rei veritate, quam praeterea confirmant causae quaedam aliunde petitae.

Sacrorum emendationem, in Saxonia et Helvetia a Luthero ac Zwinglio cum amicis generoso animo susceptam, non in multis aliis tantum terris, sed in Italia quoque maxime probatam fuisse, innumerosque Christianos in hac ipsa Pontificiae hierarchiae atque superstitionis sede meliorem puri evangelii doctrinam cupide arripuisse, plurima loquuntur testimonia et documenta [1]).

---

1) Haec qui cognoscere cupit, adeat inprimis *Gabrielis Valliculi* scriptum: *De liberali Dei gratia et servo hominis arbitrio. Ad Episcopum*

Multorum enim Italorum animi, quemadmodum pluribus aliis rebus, sic renascentium praecipue Graecarum atque Romanarum literarum studio ita erant excitati atque exculti, ut corruptum religionis ecclesiaeque Christianae statum intelligerent eiusque purgationem summopere appeterent et efflagitarent Itaque fieri non potuit, quin illi tam reformationis initiis multum faverent eiusque felici successu ex animo exhilarentur, quam vincula, quibus constrictos se aliosque sentiebant, foedae Pontificis Romani dominationis excutere, et, quam evangelium praecipit, libertatem tamdiu oppressam studerent recuperare. Verum enim vero perpauci tantum eorum tam forti constantique animo erant, ut, quae meliora cogitarent et vellent, publice ac palam profiterentur; ceteri contra prae metu mortis, quae imminebat, furtim modo ac secreto sua animi desideria aliis aperire et novam eamque meliorem publicae fidei et cultus formam praeparare et constituere audebant, ideoque cum Evangelica et Reformata ecclesia eiusque auctoribus et amicis quandam inibant epistolarum consuetudinem. Omnem isti et Pontificiae ecclesiae restaurationem atque salutem sperasse videntur ab universali eoque pio et libero concilio. Quare *Bononienses* quidam, evangelicae veritati adspirantes, Nonis Ianuariis an. MDXXXIII. Ioanni Planitio, Ducis Electoris Saxoniae Legato in aula Caesaris tunc agenti, literas miserunt, in quibus quam enixissime eum orant, imo obsecrant et per Christianam fidem obtestantur, ut

---

Lunensem. Vide quaeso, Lector, ut evangelium etiam in Italia, quantumvis opprimatur, tamen in lucem emergere gestiat, propediem erupturum, invitis omnibus persecutoribus eius. Norimbergae 1536. 8., *Busdragi* epistola iam citata, et *Dan. Gerdesii Specimen Italiae reformatae s. observata quaedam ad historiam renati in Italia tempore reformationis evangelii, una cum syllabo reformatorum Italorum.* Lugduni Bat. 1765. 4. Plura quoque invenies a *Saligio* l. c. T. II. p. 58 – 70. et a *Bockio* T. II. p. 396 sq hac de re adnotata.

apud pium Caesarem nihil non tentet, nullum non moveat lapidem, quo utilissimum necessariumque hoc concilium tandem exoretur, nequaquam dubitantes, quin non tum Imperator, quum noverit, in tota Italia a pluribus piis, doctis et honestissimo loco natis illud peti, postulari, expectari summisque interdum vocibus clamari, tum ipse humanissimus Pontifex usque adeo sit recusaturus [2]). Cum autem concilium, iamdiu frustra efflagitatum, Tridenti habendum a Pontifice Romano iam indictum esset, sed omnes pii Christiani haberent, quod metuerent, ne illud doctrinam ecclesiamque non emendaret, anno MDXLV. Italus quidam *Luthero*, *Melanchthoni*, *Bucero*, *Calvino et Germanis Helvetiisque universis*, *qui invocant Iesum Christum*, literas dedit, in quibus significat, quid a Papa eiusque ministris timendum sit, quale vero ipse sibi cum fratribus quibusdam concilium mente informaverit, eosque admonet, ut omnibus contentionibus dissensionibusque, quae inter ipsos sint, missis, una concurrant, ne impetum sustinere possint adversarii [3]).

Sed quod iam paulo ante sacrorum restaurationem, cum nouus iam isque liberior rationis usus emergere coepisset, acciderat, ut Italorum haud pauci, noxio sane isto errore seducti, quo superstitiosam ecclesiae doctrinam, quam perspectam abhorrebant, ipsam Iesu Christi eiusque legatorum religionem esse cen-

---

2) Has literas *Vit. Ludov. a Seckendorf* in *Commentario de Lutheranismo*, Francof. et Lips. 1692. fol. L. III. p. 68 sq. exhibuit. Argumentum earum v. in *Seckendorfs Ausführl. Historie des Lutherthums.* Aus dem Latein. ins Deutsche übersetzt (von *Elias Frick*), Leipz. 1714. fol. p. 1365 sqq. — Ad eosdem Bononienses et iam Bullingerum, Bucerum aliosque epistolas scripsisse, constat. Vid. *Saligs Hist. der A. C.* 1. Th. p. 530. 2. Th. p. 65 sq.

3) Argumentum huius epistolae in bibliotheca Guelpherbytana servatae necdum, quod equidem scio, editae vid. ap. *Saligium* T. II. p. 66 sqq. cf. not. f. et T. I. p. 534. not. e. et p. 538. not. w.

sebant, simul cum illa et hanc abiicerent et in fide acquiescere mallent, non tam revelationis divinae, quam rationis potius humanae fundamentis superstructa, quid? quod omni Dei cultui renuntiarent, philosophiae, quae tum potissimum invaluerat, Platonicae et ecclecticae studio allecti ac scepticismo dediti: id nunc, indagandi examinandique libertate per reformationem multo magis suscitata et adiuta, iterum apparuit. At commemorare hic non curo leves et impios illos viros, qui, quamvis inter privatos parietes non Christianam solum, verum omnem respuerent religionem, ac sanctissima quaeque deriderent, in publico tamen superstitiosae ecclesiae fidei se assentiri simulabant, et, ne privarentur commodis suis, ad sustentandam eam omnia faciebant; neque incautos et temerarios afferre libet, qui, impotentia abrepti, cunctam populo in Deum et Christum fidem eripere eumque de rebus sacris dubitandi implere moliebantur cupidine, sed eos tantum respicere iuvat, qui, tametsi divina effata humanae rationi vellent accommodare et haud parum sane a pura evangelii doctrina recederent, bono tamen consilio publicam fidei professionem corrigere ac simplicem religionis Christianae formam reficere in se negotium suscipiebant.

Talium virorum sat magnum numerum inprimis in republica Veneta versatum esse, inde iam colligere possumus, quod minus arctis ibi, quam in ceteris Italiae ditionibus, cogitandi de rebus sacris dicendique libertatem circumscriptam fuisse limitibus constat. Senatus enim, quem novimus nunquam omnino Pontificis Romani imperata fecisse, sed saepenumero insolentiae eius et importunitati fortiter restitisse, liberum de rebus divinis iudicium prorsus opprimi et coecam modo implicitamque regnare fidem nolebat. Quare humanitatis studia reviviscentia admodum adiuvabat, viros doctrinae laude insignes maxime ornabat et honorabat innumerosque, qui ad excolendas animi vires multum faciebant, libros excudi ac propagari non

patiebatur solum, sed ipse curabat [4]). Negotiatio autem et navigatio, cui maximam Veneti operam navabant, tantum aberat, ut animos eorum a vero investigando avocaret, ut multarum rerum eos redderet peritiores ac cogitandi iudicandique vim acueret. Ceterum omnes clerici a republica regenda exclusi erant [5]) ideoque impediti, quo minus felici successu imperarent mentibus vimque suam perniciosam in secus sentientes exsererent, neque inquisitoribus ea hic potestas in haereticos competebat, qua illi in Florentina, Ferrariensi, Mediolanensi, Neapolitana ceterisque Italiae civitatibus utebantur. Namque senatus Venetus, quamvis anno MDXXI., flagitantibus Legatis Pontificiis, edicto cavit, ut, qui libros haberent improbatae lectionis, intra diem octavum perferrent ad certos homines, nisi poenis postea affici vellent: tamen, cum quaesitores tunc in agro Brixiano, an. MDXVII. Venetis restituto, in quo melioris doctrinae semen, ab Arnoldo iam Brixiensi, acerbo illo hierarchiae quondam oppugnatore, satum, nunc reviviscere iterumque germinare coeperat, in homines de religione suspectos tanquam in veneficos et cum humani generis adversario commercium habentes valde saevirent, hanc legem tulit, ut Episcopis aut inquisitoribus Pontificiis minime permittatur iudicium, sed adhibeantur semper locorum praefecti et iureconsulti, qui testi-

---

4) Vid. *F. Leand. Alberti* tractatus: *De claris viris reipublicae Venetae*, adnexus libello: *Casp. Contareni de republica Venetorum libri quinque. Item synopsis reip. Venetae et alii de eadem discursus politici.* Ed. 2. Lugduni Bat. 1628. 16. p. 428 — 447. et *Io. Gottlob Lunze Academia Veneta seu della Fama*, Lips. 1801. 8. p. 4 sqq.

5) Vid. quae in libello: *Iudicia de republica Venetorum*, *Contareni* operi cit. adnexo, ex *Interdicti Veneti Hist. Lib. I.* excerpta leguntur p. 417: *Respublica Veneta Ecclesiasticos prorsus ab omni participatione sui regiminis excludit, solaque inter omnes Principes neminem ex Curia Romana pensione demeretur.*

monia cognoscant, et provideant, ne quid improbe vel avare committatur in suae ditionis homines [6]). Ipsum autem sacrum scilicet! Inquisitionis tribunal apud Venetos post Tridentinam demum synodum erectum est [7]). Quare *Busdragus* in epist. cit.: *Persuasum aliquando habui*, inquit, *si potuissemus ab Excellentissimis Dominis Venetis obtinere, ut licuisset nobis capitalibus suppliciis Lutheranos adficere, igne scilicet, furcis et ferro illos absumere, quemadmodum alicubi fit, hanc futuram compendiariam ad extirpandas haereses viam, et ursi ego quidem, quantum potui, quo id nobis liceret. Quid non egi in ea re? Sed Domini Veneti assentiri nullo modo voluerunt, imo videntur mihi quasi inviti nostras inquisitiones, licet incruentas, ferre. Certe non obscure indicant, se nullam nobis fidem habere. Nolunt enim, ut nos cum nostris notariis possimus ullos testes, saltem contra laicos, in hac causa examinare, multo minus pronuntiare ullam sententiam, nisi adiunctis nobis aliquibus Senatoribus, ita ut pro iurisdictione ecclesiastica conservanda cogamur aliquando dextere illos decipere et nostro modo processus instruere; aut clanculum dicta testium recipere.*

In Veneta igitur republica sacrorum formulam, in Germania et Helvetia in melius revocatam, laetum tulisse adsensum, mirari non possumus. Ipse senatus, cui ab hoc inde tempore

---

6) Vid. *Io. Sleidani de statu religionis et reipublicae Carolo V. Caesare Commentarii*, Lib. XXI. paulo post initium, ad an. 1548. (edit. noviss. adornata a *Christi. Carol. Am Ende*, P. III. Francof. ad Moen. 1786. 8. p. 129 sq., *Iac. Aug. Thuanus Hist. sui temporis*, L. V. itidem ad. an. 1548. (hoc enim anno edictum illud renovatum est), *Petr. Dominici Rosii de Porta Hist. reformationis ecclesiarum Raeticarum*, T. I. (Curiae Raetorum 1771. 4.) L. II. p. 251. et 299.

7) Vid. *Zachariae Boverii Annalium seu sacrarum historiarum ordinis Minorum S. Francisci, qui Capucini nuncupantur* T. I., Lugduni 1632. fol. p. 297. ad ann. 1542.: *necdum enim sacrum inquisitionis tribunal, quod post Tridentinum concilium erectum fuit, tunc in ea urbe* (Venetiis) *vigebat.*

ad annum usque MDLXVII. duces deinceps praesidebant Leonardus Lauredanus, Antonius Grimanus, Andreas Grittus, Petrus Landus, Franciscus Donatus, Marcus Antonius Trevisanus, Franciscus Venerius, Laurentius Priolus et Hieronymus Priolus [8]), reformationi maxime favebat; nam non solum Lutheri molimine valde laetabatur, et, quem exitum illud eventumque habiturum esset, cognoscendi tam cupidus erat, ut ad comitia, quae Carolus V., Imperator, an. MDXXX. Augustae Vindelicorum cogi iusserat, legatos mitteret [9]), verum evangelicae quoque veritatis e tenebris, quibus per tot secula obducta fuerat, in lucem protractae in rempublicam aditum nullo modo prohibebat. Quamobrem plura ibi Lutheri, Melanchthonis, Zwinglii et Calvini libri una cum multis aliis, qui inveteratam hierarchiam impugnabant superstitionemque, pariter impune divulgabantur, partim etiam in Italicum sermonem vertebantur et denuo exscribebantur typis, ac puriorem evangelii doctrinam Venetorum plurimi profitebantur; qui autem ex illius sectatoribus in Italia peregrinabantur, in nulla alia, quam in Veneta terra, quantum quidem penes senatum erat, aequiorem experiebantur sortem.

Rem istam apud Venetos ita se habuisse, luculentissima testantur documenta, quorum nonnulla afferam. Iam anno MDXXIV. Laurentius Campegius, aulae Romanae Pater Purpuratus, quem Clemens VII. ad comitia Norimbergensia legatum miserat, in republica Venetorum Lutheri scripta fre-

---

8) Vid. *Series Ducum Venetorum et brevis annotatio eorum, quae sub ipsis memorabilia contigerunt* — apud *Contarenum* lib. cit. p. 401 — 404.

9) Cf. *Ge. Coelestini Hist. comitiorum ann.* MDXXX. *Augustae celebratorum*, Francofurti cis Viadr. 1577. (etiam 1597.) fol. T. I. p. 73. et *Saligs Hist. der A. C.* T. I. (Halle 1730. 4.) p. 179.

quenter legi, magno cum dolore declaravit [10]). Duobus annis post Martinus Bucerus, celeberrimus ille Argentinensis theologus, *Lutheri Postillas* in usum fratrum Italorum saniori fidei adspirantium, inter quos et Venetorum nonnullos fuisse ~~vix~~ negari nequit, e Germanica lingua in Latinam transtulit hancque versionem suam iis dicavit. Paucis tantummodo annis interiectis (circa an. MDXXIX — MDXXXIV.) ipsis Venetiis, permissu magistratus, ex Pauli Manutii officina emissa est Italica *locorum theologicorum Phil. Melanchthonis* versio [11]). *Antonius* postea *Brucioli*, Florentinus, quamvis haereseos iam suspectus, tamen Venetiis ab anno inde MDXXVI. ad an. usque eiusdem seculi LVI. praeter multa alia scripta, in prohibitorum postea catalogum a Pontifice relata, Italicam suam librorum sacrorum versionem, item deinde damnatam, publicavit, nullum inde periculum sibi creans [12]). Similiter Ioannes Muslerus, ab an. MDXXIV — MDXXXV. haud ignobilis scholae civicae Nicolaitanae, quae Lipsiae floret, Rector, cum postea iurisprudentiae studio vacans Patavii viveret, a principe senatuque Veneto impetravit, ut libellos, quos olim seorsum promulgaverat, a censoribus et haereticae doctrinae inquisitoribus maxime improbatos, a MDXXXIX. Venetiis coniunctim recudere posset [13]). Quid? quod ipsius Alcorani Arabici editio a MDXXX. eiusdemque libri

---

10) Cf. *Salig* T. I. p. 75.

11) Haec versio sub titulo prodiit: *I principii della Theologia di Ippofilo de terra nigra. Con gratia de Privilegio.* 8. fol. 87.

12) De Bruciolo eiusque scriptis praecipue egit *Io. Ge. Schelhorn Ergötzlichkeiten aus der Kirchenhistorie u. Literatur* (T. I — III. Ulm u. Leipzig 1762 — 1764. 8.) T. I. p. 379 — 419. 643 — 670. T. II. p. 32. et 535 — 551.

13) Vid. *Io. Iac. Reiske De rebus ad scholam civicam, quae Lipsiae ad D. Nicolai est, pertinentibus expositio.* Lips. 1759. 4. p. 17. et 21., et *Lunze* lib. cit. p. 7 sq.

Italica versio a MDXLVII. ibidem prodiit, qui uterque liber iussu Pontificis Romani postea suppressus est [14]). Denique Busdragus in epistola citata, illud tempus respiciens, quo Venetiis inquisitoris provincia functus erat, disertis verbis affirmavit, non viva tantum voce, verum sparsis etiam libellis Lutheri doctrinam ibi propagatam esse. Nam: *Ego*, inquit, *quod ad me attinet, cum in his inquisitionibus iudiciisque diu multumque versatus fuerim, tum in civitate ipsa Venetiarum, dum essem auditor Reverendissimi D. Legati Apostolici, tum in hoc Patavino Gymnasio utpote vicarius Inquisitor et Suffraganeus (licet indignus) Illustrissimae et Reverendissimae D. V., non puto, me vel unum prae manibus habuisse (habui autem fere innumerabiles), qui vere abiecerit errorem et factus sit Catholicus; sed omnes finxerunt, se abiecisse, ut nobis e manibus elaberentur et rem suam agerent. Quemadmodum etiam dubium non est, omnes, quotquot fuerunt accusati et contra quos processimus, sive condemnati sive absoluti fuerint, omnes, inquam, cum omnibus eorum familiis atque amicis factos fuisse nostros hostes capitalissimos, ut quotidie se peius gesserint contra nos, modo vivis vocibus (aliquanto tamen cautius, quam antea) Lutherismum serentes et nutrientes, modo sparsis libellis, ante omnia practicis intelligentiisque habitis cum his, qui in Germania degunt. Hoc quidem agunt, qui nondum ex Italia profugerunt etc.*

Verum sane hic habes Episcopi Argolicensis iudicium; nam cum libri ab Evangelicis Christianis scripti cupide a Venetis legerentur, fieri non potuit, quin melior doctrina, quam praedicabant illi et commendabant, multorum animos mire alliceret ad eamque amplectendam redderet in dies propensiores. Quocirca Lutherus A. MDXXVIII., cum cognovisset, in republica Venetorum haud paucos reperiri evangelicae veritatis

14) Cf. (*Schelhornii*) *Amoenitates literariae*, T. I. ed. 2. (Francofurti et Lips. 1730. 8.) p. 356 — 358.

amore et desiderio incensos, pias Deo gratias egit [15]). Venetiis autem Georgius Curio mense Iun. A. MDXXX. Augustam Vindelicorum literas misit, in quibus inter cetera significat, valde illic etiam laudari et praedicari Ioannis, Ducis Electoris Saxoniae, animi magnitudinem et constantiam, quod ad comitia Augustana venire non dubitaverit [16]). Eadem ex urbe ad Melanchthonem quoque, quum in iisdem comitiis versaretur, Lucius Paulus Rosellius duas epistolas dedit, quarum in altera, d. XXIX. Iulii data, vehementer eum adhortatur, ut strenuam pro evangelica veritate, omni prorsus humano, vel mortis metu abiecto, navet operam, simulque innuit, ipsius libellorum lectione et suum aliorumque Venetorum animum mire oblectari, et Italos omnes comitiorum Augustanorum exitum avide expectare; in altera vero, die 1. Augusti scripta, nuntiat ei, Venetiis de ipso rumores circumferri, quasi remissius evangelii causam agat, illosque vehementer auctos et amplificatos esse epistolae ipsi adscriptae exemplo, senatui Veneto ab oratore eius, qui Augustae apud Imperatorem oratorio fungatur munere, misso, eumque obsecrat, ut hanc malignitatem in suam suorumque gratiam detegat sicque nominis sui gloriam ubique gentium extendat [17]). Ad ipsum autem senatum Venetum Melanchthon A. MDXXXIX. Lipsia, ubi tum, Georgio, Saxoniae Duce, mortuo, in reformanda ecclesia et academia occupatus erat, literas dedit profecto memorabiles; ex his enim elucet, cum multos in agro Veneto vixisse evangelii studiosos, tum ipsum senatum, cum quo ille satis familiariter atque cordate

---

15) Vid *Seckendorfs Ausführliche Historie des Lutherthums,* p. 927. In ipso Seckendorfii opere Latino huius rei nulla fit mentio.

16) Vid. *Coelestini Hist. Com. Aug.* T. I. p. 40.

17) Utramque hanc epistolam vid. in *Coelestini Hist. Com. Aug.* T. II. p. 274 sq. et T. III. p. 18. Cf. *Salig* T. I. p. 262 sq. et 287.

agit, haud impedivisse, quo minus purior doctrina in sua ipsius ditione latius disseminaretur [18]). Nam: *Cum anno superiore*, in-

18) Hanc epistolam Lipsiae a. 1539. scriptam esse, iam prima eius editio docet, quae, paginas undecim octonas minores complectens, sub hoc titulo prodiit: *Epistola Philippi Melanthonis ad Senatum Venetum. Oratio publice habita Vuittenbergae in promotione Doctoris Iuris de scripto Iure et dignitate veterum interpretum Iuris.* Nam Vir Summe Venerandus mihique amicissimus, D. Aug. Hahn, Regiomonti Theologiae Professor, qui tria huius editionis exemplaria, in bibliotheca Regia Regiomontana servata, accurate inspexit, mihi per literas nuntiavit, in fine illius epistolae diserte legi: *Ex Lypsia*, *Anno* 1539., et in fine totius opusculi: *Impressum Norimbergae*, *per Hieronymum Formschneyderum Anno MDXXXIX.* Eandem subscriptionem: *Ex Lypsia Anno* 1539. reliquae etiam huius epistolae editiones habent, ut: *Mel. Epp. selectiores* edit. a Peucero, Witeb. an. 1565. 8. p. 97 sqq., *eiusdem Epp.* ab eodem promulgatae an. 1570. 8. T. I. p. 365 sqq., *eiusdem Consilia s. Iudicia theologica* a Pezelio collecta et edita Neustadii an. 1600. 8. P. I. p. 336 sqq., *eiusd. opera*, Witteb. 1562 — 1564. in 4 Part. fol. vulgat., P. IV. p. 833 sqq., eiusque *liber selectarum declamationum*, Argentor. 1541. 4. p. 804 sqq. et ceterae huius operis editiones, quae Argentorati 1543, 1546, 1559 et 1570 prodierunt. De hoc anno cogitandum esse, aliunde quoque potest probari. Nam si Braccietus ille, quem Mel. initio epistolae commemorat, et Mich. Bracchiolus, quem idem nominat in epistola quadam ad *Vitum Theodoricum* (*Veit Dietrich*), Noribergensem ecclesiasten, una eademque persona fuit, et quidem Mich. Brucioli s. Bruccioli, Antonii frater, simulque epistolae ad senat. Ven. scribendae ansam dedit, quod valde probabile est (v. *Schelhorns Ergötzlichkeiten*, T. I. p. 420 — 427.): nullus alius, quam notatus annus intelligi potest, quippe cum Mel. his utatur verbis: *Cum anno superiore Braccietus mecum — disputaret*, et paulo inferius: *scitis enim*, *anno superiore — in patriam revocatum fuisse;* in illa vero epistola ad Theodoricum suum initio an. 1538. data (v. *Epistolarum Phil. Mel. liber IV.* a Io. Sauberto editus Noribergae 1640. 8. p. 46.): *Meministi*, inquit, *te mihi commendare hominem Italum, Michaelem Bracchiolum. Cum hoc fuit mihi consuetudo admodum iucunda dierum aliquot. — Domum revocatur propter fratris periculum, qui*

quit, *Braccietus* [19]) *mecum et de studiis optimarum artium et de*

ut sunt ibi factiones, in quoddam discrimen fortunarum incidit, ut proscriptionem facultatum metuat. Redit igitur Michael istuc, ut fratri periclitanti opem ferat. Rediit igitur Braccietus a. 1538. in patriam, sed anno sequenti rursus eum in Saxonia commoratum esse, Mel. in epistola, quam viro isti videtur ad ipsum senatum Venetum perferendam tradidisse, satis luculenter indicat his verbis: *Postquam autem nunc recurrit ad nos* etc. Vid. *Mosheim Anderweitiger Versuch einer vollständigen u. unpartheyischen Ketzergeschichte*, Helmstädt 1748. 4. p. 56. — Ex hisce disputatis clare patet, in errore fuisse *Bockium Hist. Antitr.* T. II. p. 398. affirmantem, Melanchthonis literas ad sen. Ven. iam a. 1538. datas esse. Provocat quidem ad illud editionis Norimbergensis exemplar, in bibliotheca Regiomontana asservatum, quod a Mel. Principi Alberto Seniori transmissum esse censet, qui sua manu in fine tituli adscripserit: *Accepi d. XVII. Iulii Anni MDXXXVIII. per Eliam Plesse, Wratelaviensem*, atque adiicit, hunc annum 1538. in fine quoque totius opusculi notari. At in illo exemplari non hunc, sed an. 1539. notari, iam indicavimus, verba autem adscripta non *Ducis Alberti*, verum Episcopi *Pauli Sperati* esse, Vir Excellentissimus et Humaniss., D. Faber, tabularum publicarum Regiom. custos, qui Sperati et chirographum et insigne, quod interiori hic adglutinatum est tegumenti parti, bene callet, nuntiandum mihi curavit. Sed utut sit, id tamen concedendum est, possessorem libelli non MDXXXVIII., sed MDXXXVIIII. scribere voluisse. Illud autem epistolae exemplum calamo descriptum, quod idem Bockius affert, eodem Fabro teste in biblioth. Regiom. frustra quaeritur. — Ceterum quod in *Mel. sel. declam.* illae literae sic inscriptae sunt: *ad Venetos quosdam Evangelii studiosos*, inde non minus, quam ex ipso argumento *Schelhornius* l. c. colligit, non ad senatum Venet. eas datas esse. Equidem affentiri nequeo; nam, ut omittam, in omnibus reliquis editionibus *ad Senatum Venetum* inscriptas eas inveniri, nihil inest, quod Mel. ad hunc senatum scribere non potuerit, civitatis autem Venetae Senatores, ab evangelii doctrina haud alienos, *evangelii studiosos* non inepte appellari, nemo non facile concedet.

19) Mich. Bruccioli intelligendus esse videtur, rei evangelicae admodum favens. Vid. quae de ea re in not. 18. disputata sunt.

religione pleraque disputaret, facile perspexi, eum non modo singulari eruditione, sed etiam prudentia et gravitate eximia praeditum esse. Itaque magno studio eum complexus sum. Delectabar cum ipsius ingenii venustate, quam in carminibus suavissimis scriptis exprimit, tum vero sermonibus ipsius multiplicem doctrinam redolentibus. Sed nescio, quod fatum mihi diuturnam eius consuetudinem invidit. Scitis enim, anno superiore domestico quodam negotio in patriam statim revocatum fuisse, in quo praedicat se a vobis, amanter et summa fide adiutum fuisse. Postquam autem nunc recurrit ad nos, et tot Alpium iuga ac Hercinios saltus in ipsa brumae saevitia emensus est, non obscurum specimen ostendit praecipuae erga me benevolentiae et in nostra amicitia constantiae. Quare reditus eius mihi iucundissimus fuit, ac magnopere optabam, me diutius eius consuetudine frui posse. Fuit autem mihi periucundum, quod gravissimorum quorundam virorum iudicia aequiora commemoravit de emendatione ecclesiasticorum abusuum, quae a nobis profecto non iniusta aliqua cupiditate aut studio contendendi instituta est. — — — Talis servitus nequaquam in ecclesia constituenda est, ut propter tranquillitatem omnia errata illorum, qui praesunt, comprobare cogamur, maximeque eruditis tuenda est in dicenda sententia seu in docendo libertas. Cumque unica sit urbs vestra in toto orbe terrarum, in qua vera est aristocratia tot seculis conservata, quae semper inimica fuit tyrannidi, maxime decet in eo loco esse libera bonorum iudicia, et improbare iniustam saevitiam, quae alibi in ecclesiam exercetur. Quare vos, quantum possum, adhortor, ut ad gloriam Dei ornandam studia atque authoritatem vestram conferatis; hic cultus Deo gratissimus est.

Plurimos in agro Veneto, senatu non admodum renitente, evangelicam veritatem amplexos esse, ex iis quoque videre licet literis, quas Balthasar Alterius, Aquila — Neapolitanus,

qui Legato Anglico apud Venetos erat a secretis [20]), nomine fratrum ecclesiae Venetiarum, Vicentiae et Tarvisii ad Lutherum d. VI. Cal. Dec. A. MDXLII. scripsit et Vito Theodorico (*Veit Dietrich*), Norimbergensi Ecclesiastae aliis literis, d. III. Cal. Dec. eiusdem anni datis, Vitebergam transmittendas commisit atque commendavit. Etenim quamvis fratres illi de malis conquerantur in melioris doctrinae fautores a Papa eiusque ministris illatis, ac Protestantium opem implorent, ut ad Germaniae Principes, qui ex hac parte sint, hanc rem totam deferant eosque per Christum rogent, ut literas commendatitias ad senatum Venetiarum pro ipsis conscribant: tamen haud obscure significant, iam pridem coetus sincerae religionis studiosorum in Veneta civitate fuisse. Unde liquet, ipsos gubernatores bene his hominibus cupiisse neque ullo eos modo vexasse [21]). Brevi quidem post nonnulli ex fratrum illorum numero, nominatim Baldus Lupedius, Franciscanorum quondam Provincialis et Matthiae Flacii Illyrici cognatus, Venetiis in vincula coniecti sunt; sed id factum est Romanae Curiae mandato [22]), cui hac in re senatus non facile potuit adversari, quemadmodum eadem in urbe an. MDXLII., iubente Nuntio Pontificis, Iulius Mediolanus carceri inclusus

---

20) Vid. *Salig* T. II. p. 65. et *de Porta* T. I. L. II. p. 121.

21) Totam epistolam Latine scriptam, ob querelam quoque de lite sacramentaria lectu dignissimam, vid. in *Seckendorfii Commentario de Lutheranismo* L. III. p. 401 sq. et in *Gerdesii Ital. reform.* p. 62., Germanice vero versam in *Frickii* vers. Germ. operis Seckendorfiani p. 2117 sqq.

22) Vid. Principum Evangelicorum literae supplices ad senatum Venetum, Latinae scriptae, quas primum promulgavit *Ge. Theod. Strobel* in libro: *Miscellaneen literarischen Inhalts*, 1. Sammlung, Nürnberg 1778. 8. p. 199 — 204. sub titulo: *Der Evangelischen Fürsten Fürbitte an den Senat zu Venedig für einige des Evangelii wegen ins Gefängnis Geworfene vom Jahr* 1743.

erat [23]). Lutherus autem et Flacius, qui ipse hac in causa ad senatum Venetum epistolam misit [24]), Principes Germaniae Evangelicos precibus eo adduxerunt, ut pro miseris illis hominibus an. MDXLIII. d. XXVI. Iunii literis et deprecationibus intercederent [25]), quibus id saltem effecerunt, ut captivi illi non tunc temporis, sed multo serius necarentur [26]). Iulius autem

---

23) Vid. *Zach. Boverii Annalium Capucinorum* T. I., ad an. 1542., p. 297.

24) Praefixa legitur haec epistola libro *Flacii* perraro obvio: *De sectis, dissensionibus, contradictionibus et confusionibus doctrinae, religionis, scriptorum et doctorum Pontificiorum*, Basileae 1565. 4. Vid. *Schelhorns Ergötzlichkeiten* T. II. p. 14 sq. Not. g.

25) Vid. Not. 22.

26) Vid. *Gerdesii Ital. reform.* p. 58. et 172. et *Ioh. Balthas. Ritters M. Flacii Illyr. Leben u. Tod*, 2. Aufl., Frankf. u. Leipz. 1725. 8. p. 7.

Lutherus fratribus Italis Id. Iun. an. 1543. rescripsit. Ipse in epistola ad *Vitum Theodoricum* Id. Iun. eiusdem anni 1543. data, quam *Strobel Miscellaneen liter. Inhalts*, 1. Samml. p. 168 — 170. primum publicavit, diserte affert, suas ad Italos fratres literas iam *Matthaeum Illyricum* accepisse. Eandem Lutheri epistolam et *Melanchthon* commemorat in duabus epistolis ad *Vit. Theodoricum* d. 6. Sept. et d. 25. Oct. 1543. datis, quas *Rud. Hospinianus* in *Hist. Sacramentaria*, Tiguri 1598. P. II. fol. 184. produxit. Cf. *Seckendorfii Commentarius de Lutheranismo* L. III. p. 403. et *Planck Geschichte des protestant. Lehrbegriffs* T. IV. p. 25. Not. 21. Utramque Melanchthonis epistolam *Pezelius* recepit in *Melanchth. Consil. theol.* T. I. p. 583 sq., *Strobelius* vero una cum *Theodorici* ad priorem eius epistolam responsione inedita, et prioris quidem initium hucusque incognitum ex cod. MS. exhibuit illustravitque in *Henkii Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte* T. I. (Helmstädt 1794. 8.) p. 421 sqq. Ipsam autem Lutheri ad fratres Italos responsionem primum edidit *Bernh. Fried. Hummel Neue Bibliothek von seltnen u. sehr seltnen Büchern u. kleinen Schriften, samt beygefügten noch ungedruckten Briefen u. andern Aufsätzen gelehrter Männer der vorigen Zeit*, 1. B. (*Nürnberg* 1775. 8.) p. 239 sqq. et postea *Gottfried Schütze D. Martin Luthers bisher ungedruckte Briefe,*

Mediolanus iam antea, senatu, ut videtur, annuente, certe non resistente, fuga se eripuerat [27]). Denique et id videtur memoratu dignum esse, quod Principes Protestantes, foederis Smal-

3. B. (Leipz. 1781. 8.) p. 210. — Ad eosdem fratres Italos Lutherus d. 12. Nov. 1544. et aliam epistolam dedit, in qua admonitum se esse dicit a *Flacio* de scribendis denuo literis per Principes Evangelicos ad senatum Venetum pro vinctis confessoribus Christi, ac scire se, esse hos Principes locutos cum Legato Veneto, quod is effecerit, se ignorare, quodsi porro sit, profuturas esse tales literas, operam suam non defore. Posteriorem harum literarum partem Germanice versam produxerunt *Tim. Kirchnerus*, *Nic. Selneccerus* et *Mart. Chemnitius*, auctores libri: *Apologia oder Verantwortung des Christl. Concordien - Buchs* etc. T. IV., qui ita inscriptus est: *Gründliche wahrhaftige Historie von der Augspurg. Confession*, Leipzig 1584. fol. p. 331. et in eodem libro, Lips. 1591. 4. sub titulo: *Historie des Sacramentsstreits* edito, p. 421. (Cf. de hac apologia *Salig Hist. der A. C.* T. 1. p. 744 sq.) Eadem pars postea inserta est variis operum Lutheri editionibus, ut Altenburgianae T. VIII. p. 412., Lipsiensi T. XXI. p. 451., Halensi T. XVII. p. 2632 sq. Latinam autem *Hospinianus* lib. cit. P. II. p. 196. et ex hoc libro *Ioh. Francisc. Buddeus Collectio nova epistolarum Mart. Lutheri*, Halae 1717. 4. p. 286 sq. inscriptam: *Balthasari Alterio*, exhibuit. Priorem vero partem *Strobel Miscellaneen*, 3. Samml. (1780) p. 90 — 92. ex libro *Pauli Crellii: Quaestio et responsio de vera ac nativa sententia dicti Paulini: nonne panis, quem tangimus* — — Witteb. 1575. 8. edidit sic inscriptam: *Venerabilibus et Amantissimis Dominis et fratribus, Balthasari Alterio et sociis in confessione Christi Venetiis et Vicentiae etc. sincerissimis et fidelibus.* Cf. *Salig Hist. der A. C.* T. II. p. 65. et *Planck* l. c. T. IV. p. 28. Not. 24. Ceterum *Seckendorfius* erravit, p. 402. censens, has Lutheri literas post triennium scriptas esse. — De utraque Lutheri epistola vid. *Strobel Bemerkungen über Luthers Briefwechsel mit einigen Evangelischen zu Venedig, das Abendmahl betreffend*, in *Henkii Magazin für Religionsphilosophie etc.* T. I. p. 418 — 429.

27) Cf. *Schelhornii Diss. epistolaris ad Moshemium de Mino Celso, Senensi*, Ulmae 1748. 4. p. 11. 36. 46., eiusdemque *Ergötzlichkeiten*, T. II. p. 11. Not. f.

caldici socii, an. MDXLVI. literas dederunt ad Franciscum Donatum, Venetiarum Ducem, in quibus Alterium illum Procuratorem s. Agentem foederatorum esse nuntiant eique fidem haberi volunt [28]). Nam inde elucet, nil eos metuisse, ne Alterius, qui puro evangelio adhaereret, apud Venetos in periculum incurreret, imo sperasse, senatum Protestantium Christianorum causam strenue esse acturum. Quam quidem spem haudquaquam vanam irritamque fuisse, ipsius Alterii literae testantur, ad *Bullingerum* Venetiis Idib. Nov. MDXLVI. datae [29]). Nam: *Reliquum est*, inquit, *ut sciatis, me hic Germaniae Principum ac ceterorum foederatorum vices agere: quae res effecit, ut Evangelium Iesu Christi non tam hic, quam in reliqua Italia altiores radices egerit, ac spero, indies auctum iri. Nam Veneti non mediocriter afficiuntur ob eam rem, ita ut ad Germanorum res iuvandas sint propensissimi, et fortasse, si Deus voluerit, foedus quoque cum illis inibunt. Haec amabo cum sint magni ponderis, taciturnitate opus est, ut apud vos serventur, quae eo lubentius scripsi, quia certo sciebam, vobis fore gratissima. Res Caesaris in Germania indies fiunt deteriores.*

Quum igitur in nulla alia Italiae parte, quam in republica Veneta, cogitandi iudicandique de religione libertas minus praecideretur, fieri non potuit, quin et liberiores ibi de singulis fidei Christianae capitibus proferrentur sententiae, Pontificiis aeque ac Protestantibus invisae. Nam hic quoque, ut in tota fere Italia plures vivebant viri, praeclaris ingenii viribus et doctrina non minus quam morum probitate conspicui, qui, ecclesiae erroribus abusibusque perspectis, rationis libero usu, post tot secula, quibus turpiter oppressus fuerat, nunc recu-

28) Cf. *Seckendorfius de Lutheranismo* L. III. p. 614.

29) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 33.

perato laeti, fidem Christianam ita repurgare molirentur, ut et illa dogmata, quae a sana ratione ipsis viderentur abhorrere, veluti de trinitate, de Iesu Christi satisfactione huiusque generis alia, non quidem removeri vellent ex doctrina publica, attamen una cum effatis biblicis huc spectantibus ad rationis componerent normam et explicarent [30]). Simili autem reformandi religionem studio qui inter exteros accensi erant, eorum libri apud Venetos passim divulgabantur ipsorumque haud pauci ex aliis terris, praesertim Italiae, ob novam hanc fidem profugi asylum hic quaerebant, et, si quaesitorum vigilantiam fallerent, inveniebant.

Quis vero primus fuerit, qui hanc liberiorem fidei Christianae articulos tractandi rationem in agro Veneto revocaverit, certo quidem assequi non possumus; sed iam mature Michaelem Servetum, gente Hispanum, acerrimum illum dogmatis de trinitate impugnatorem, qui Genevae postea acerbissima mulctatus est morte, ut Italorum omnino sic et Venetorum plurimis doctrinam suam instillasse [31]), non mera est coniectura. Namque licet eorum virorum sententia, qui contendunt, iam circa an. MDXXIII — MDXXVIII. in Italia, nominatim in Veneta republica eum commoratum esse ibidemque amicos invenisse atque

30) Quae *Bockius* T. II. p. 405. suspicatus est: *ipsam academiae Venetae formam et constitutionem, in qua et docentibus et discentibus liberum antiquitus fuerit, sua exponere dubia et de variis rebus confabulari, suppeditasse obiectionibus nectendis adversus Mysterium S. Trinitatis inter Venetos occasionem* — iam propterea non valent, quod, quam innuit ille, ut ex verbis sequentibus patet, academia Veneta seu *della Fama* anno demum 1558. ideoque pluribus annis post collegia Vicentina condita est. Vid. *Lunze Acad. Venet.* p. 39.

31) *Ioh. Manlius Locorum communium collectanea*, Basileae (1562.) 8. T. III. p. 21. diserte affirmat: *Postea Venetiis sparsit suum venenum.*

patronos, probari nequit, quippe quae ipsi historiae repugnet [32]): tamen, vere in Italia eum fuisse, cognitum compertumque habemus. Ipse enim coram iudicibus Viennensibus A. MDLIII. professus est, se cum hero suo, Quintana, qui Carolo V., Imperatori, a confessionibus fuerit, in comitatu Imperatoris ex Hispania in Italiam profectum esse huncque Bononiae a Pontifice inaugurari vidisse [33]). Quum autem Carolum constet iam d. IV. Nov. an. MDXXIX. in Italiam appulisse, et, diademate Bononiae d. XXIV. Februarii an. MDXXX. a Clemente VII. accepto, mense eiusdem anni Aprili hanc terram reliquisse: quo tempore Servetus in Italia versatus fuerit, ambigere non possumus [34]). At vero iste iam tum, quamvis iuvenis octodecim aut viginti annos natus [35]), non minus odio flagrasse videtur in Pontificiam doctrinam, quam eius repurgandae, imo vero suas qualescunque sententias disseminandi studio. Etenim non modo postea, illud haud dubie tempus, quod Bononiae transegerat, respiciens, significavit, se valde indignabundum adspexisse Papae tyrannidem ac pompam populique coecam in eum fidem et venerationem [36]), verum emisit etiam iam an. MDXXXI. librum

---

32) *Bockius* igitur quomodo T. II. p. 415. dicere potuerit, id in aprico positum esse, non intelligo.

33) Vid. *Ioh. Lor. v. Mosheim Neue Nachrichten von dem berühmten Spanischen Arzte, Michael Serveto*, Helmstädt 1750. 4. p. 13 sq. *Quintana*, teste *Io. Cochlaeo* (*De actis et scriptis Mart. Lutheri, Saxonis*, Mogunt. 1549. fol. p. 252.), ipse dicebat, se de facie Servetum nosse.

34) Non igitur iam an. 1525. in Italia fuit, quod equidem in libello meo: *Vita Lael. Socini* p. 8. censui, neque an. 1528., quod *Mosheim* l. c. p. 22 sq. putat.

35) Vid. *Mosheim* l. c. p. 8 sq. Servetus enim natus est an. 1509. vel 1511.; hinc non video, cur *Mosh.* p. 19. afferre potuerit, an. 1530. Servetum annum decimum septimum egisse.

36) Vid. eius librum: *Christianismi restitutio*, an. 1553. 8. editum (an. 1791. No-

suum *de trinitatis erroribus.* Ipsa tamen, quam liber iste continet, doctrina Servetum per Antitrinitarios quosdam in Italia imbutum fuisse, non est, cur sumamus [37]), cum, a tali praecoci ingenio, quali erat, eam facile potuisse excogitari, haud difficile sit creditu. Quae si res ita se habet, Servetum placita sua iam tum aliis aperuisse pluresque amicos ei fuisse atque fautores, sane vero haud est dissimile. Eum vero et seriori tempore in Italiam nominatimque in agrum Venetum venisse, certo quidem probari nequit [38]): at si consideraveris, non solum multos

---

rimbergae recusum) p. 462.: *Hisce oculis nos vidimus, eum* (Papam) *super principum cervices cum pompa gestari, cruces sua manu minando, et in mediis plateis a cuncto populo genibus flexis adorari, usque adeo, ut, qui pedes seu calceos ipsius osculari possent, se supra alios existimarent felices, indulgentias plurimas esse lucratos dicerent, et inferni poenas ad multos annos ob id esse remissas. O bestiam bestiarum sceleratissimam, meretricum impudentissimam!* Cf. *Mosheim Neue Nachrichten von Mich. Serveto* p. 14., ubi sententiam suam, qua quondam in libro suo: *Anderweitiger Versuch einer vollständigen u. unpartheyischen Ketzergeschichte,* Helmstädt 1748. 4. p. 55. censuerat, Servetum Romae Papam vidisse, corrigit.

37) Somniat Abbas *d'Artigny* in commentatione: *Memoires pour servir a l'histoire de Michel Servet,* quam insernit libri: *Nouveaux Memoires d'histoire de critique et de litterature,* Parisiis an. 1749. 8. editi P.II. p. 55 sqq., Servetum doctrinam suam ex colloquiis hausisse, quae an. 1529. et 1530. in Italia cum magno Antitrinitariorum numero instituerit, horumque iussu primum libro suo edendo in trinitatis dogma impetum fecisse. Sed quam mire omnia quaeque, vel diversissima tempora, locos aliasque res Abbas ille sagacissimus scilicet! miscuerit et confuderit, iam *Mosheim Neue Nachr.* p. 19 sqq. subtiliter ostendit.

38) *Mosheim Anderweitiger Versuch* etc p. 55. coniecit, Servetum circa an. 1533 — 1534. in Italiam profectum esse, quam' coniecturam *Fueslin Kirchen- u. Ketzerhistorie der mittlern Zeit* T.II. p. 136. Not. 53., *Bockius* l. c. T. II. p. 415., qui temere contendit, *a quibusdam memoriae proditum id legi, Schröckh Christl. Kirchengeschichte seit der Reformation*

ibi eum habuisse sectatores [39]), sed etiam cum Venetis quibusdam usque ad vitae suae exitum literarum usu iunctum fuisse [40]), et priusquam a Calvino esset interceptus Genevae, Venetias ire cogitasse [41]), vix negare poteris. Quo minus ita censeamus, nil impedit, quod Servetus coram tribunali Viennensi affirmavit, se ab an. MDXXXII — MDLIII. in Gallia vitam suam degisse [42]); nam cur opus ei fuerit, itineris, quod intra illud forte temporis spatium in Italiam fecerat, mentionem iniicere, cogitando non assequor. Sed utut sit, id saltem liquet, scripta Serveti in Italia, maxime in Venetorum civitate avide lecta esse eorumque argumentum in multorum animos ita se insinuasse, ut ipsius doctrina haud improbaretur.

Cuius rei iam testimonio sunt Melanchthonis literae an. MDXXXIX. ad senatum Venetum datae [43]), in quibus admonet eum, et obtestatur, ut provideat, ne impius Serveti error latius altiusque in republica serpat [44]). *Intellexi autem* (ex Brac-

---

T. V. p. 502. aliique probarunt; sed ipsum *Moshemium Neue Nachrichten von Serveto* p. 14. sententiam suam revocasse, iam indicavimus.

39) Cf. *Guil. Postelli Apologia pro Serveto Villanovano de anima mundi* etc., quam *Moshemius* primum excudendam curavit in libro suo: *Anderweitiger Versuch* etc. p. 466 — 499. (Cf. quae idem de hoc scripto eiusque auctore disseruit p. 455 sqq.) Postellus enim p. 474. ait: *Si tamen* (Servetus) *una cum suis sectatoribus, quos multos habet in Italia, trinitatem et secundae personae in Christo unionem ὁμοούσιον negaverit. — Io. Calvinus Fidelis expositio errorum Mich. Serveti et brevis eorundem refutatio, ubi docetur, iure gladii coërcendos esse haereticos*, Genevae 1554. 8. p. 687.: *Non adeo miratus sum, multos esse in Italia tabe ista infectos.*

40) *Calvini Refut. error. Serveti* p. 695.: *Iam fluxerunt anni IV, ex quo hanc de me fabulam commentus est Servetus ipse et spargendam Venetiis curavit.*

41) Vid. *Lubieniecius* p 97.

42) Cf. *Mosheim Neue Nachrichten von Serveto* p. 29 sqq.

43) Vid. supra Cap. II. Not. 18. p. 21.

44) *Serveti* errores *Melanchthon* iam pridem improbaverat cum in iis

cieto), inquit ille, *isthic circumferri Serveti libellum* (de trinitatis erroribus), *qui renovavit errorem Samosateni initio Ecclesiae damnatum, et labefecit sententiam de duabus naturis in Christo, negat, in Iohanne Verbum significare hypostasin seu personam, ut nunc vocant, cum ait Iohannes: In principio erat Verbum, et postea: et Verbum caro factum est. Etsi autem extat meum iudicium de hac controversia, ac nominatim in locis* (theologicis) *damnavi Serveti sententiam, tamen nunc quoque vos admonendos atque obtestandos esse duxi, ut hortatores atque autores sitis, ut fugiant, abiiciant, execrentur impium Serveti errorem. Scio absurdum videri, quod interpretatur Ecclesia, Verbum esse personam seu hypostasin: sed in his coelestibus dictis, non quid concinnum rationi humanae videatur, spectandum est, sed quid certo doceant ac affirment testimonia divinitus proposita in Apostolicis scripturis, quae Servetus astute eludit. Sed calumniae praecipue removendae sunt a sacris dogmatibus. Nos, ut decet pios, primum consideremus, quid senserit certo prima Ecclesia. Nam Servetus iniuriam insignem facit Irenaeo et Tertulliano, quos fingit sibi patrocinari, cum Tertullianus diserte instituat quaestionem, an Verbum sit hypostasis aut significet Patrem cogitantem, aut deliberantem seu constituentem aliquid. Saepe autem affirmat, Verbum esse hypostasin seu personam, et allegat prioris Ecclesiae autoritatem. Irenaeus citat Polycarpum, auditorem Iohannis, estque auctor in primis purus; is clare affirmat, Verbum esse hypostasin seu personam, etiam antequam*

---

locorum suorum *theologicorum* editionibus, quae ab anno inde 1531. prodiere (in Articulo: *de Filio*), tum in literis a. 1533. ad *Ioach. Camerarium* datis (Vid. *Liber epistolarum Phil. Mel. ad Camerarium scriptarum*, Lipsiae 1569. 8. p. 204.): *Servetum multum lego. Tertulliano prorsus facit iniuriam* etc.; sed multo acrius eos postea impugnavit in tractatu suo: *Refutatio erroris Serveti et Anabaptistarum*, ad calcem *Corporis* eius *doctrinae Christianae*. — Cf. *Servetus De mysterio trinitatis et veterum disciplina ad Phil. Melanchthonem et eius collegas* in *Christianismi Restit.* p. 697 sqq.

induit humanam naturam. — — Invocat Ecclesia Christum in quotidianis precibus, neque hic mos novus est, sed etiam a Paulo usurpatus, ut epistolae eius testantur, et habet testimonia in Psalmis, qui iubent invocare Dominum illum promissum; tribuit autem invocatio divinitatis honorem, cum agnoscimus eum, quem invocamus, omnium pectorum motus videre, quod non est, nisi immensae potentiae ac Dei. Tollit igitur re ipsa Servetus invocationem, etiamsi in speciem retinet. — — — Haec scripsi verbosius, quam modus epistolae patiatur, sed multo angustius, quam magnitudo causae postulat. Verum iudicii mei testimonium vobis significare volui, nec gravatim de tota controversia, si quis petet, copiosius disputabo. In locis collegi praecipua testimonia ad hanc causam pertinentia, quibus confirmatae mentes facile possunt contrarias cavillationes refutare. Porro ut quondam lex Castrensis notabat ignominia, non eum, qui gladium, sed qui clypeum abiecerat, quia prior esse cura nostri tuendi debet, quam hostes feriendi, ita in his contentionibus prior esse cura debet, nostras mentes recte confirmandi, posterior, refutandi adversarii.

At enim ex scriptis Serveti non illi solum *de trinitatis erroribus libri VII*, verum *dialogorum* quoque *de trinitate libri II*, A. MDXXXII. in lucem emissi, quibus adnexa erant *de iustitia regni Christi capitula IV*, imo vero liber famosissimus: *Christianismi restitutio*, quamquam anno demum MDLIII. excusus, iam illo tempore in terra Veneta sparsi esse videntur. Novimus enim, Servetum opera sua longe lateque diffundere solitum esse eorumque vel nondum typis exaratorum exempla quaedam, vel saltem partes, huc illuc misisse, omnium vero recentissimum cum Calvino iam anno MDXXXV. aut sequenti communicasse [45]). Se enim a Deo missum esse, ut religionem Christianam restitueret mundumque illuminaret, habebat ille persuasissimum [46]); hinc

45) Vid. *Mosheim Anderweit. Versuch* p. 64 sqq. et 458. coll. p. 99.

46) Cf. praecipue Serveti *dialogi de trinitate* eiusque liber: *Christianismi re-*

nova sua placita aliis hominibus, amicis potissimum atque patronis suis, annuntiare quam maxime properabat.

Hac igitur ratione Servetianismus in Venetorum republica maiores in dies progressus fecit, quos senatus, tametsi ea de re per literas Melanchthonis certior factus, sive sectatores eius atque amicos detegere non potuerit, sive, quod veri est similius, liberiorem de rebus sacris sentiendi modum reprimere noluerit, non videtur inhibuisse. Quocirca qui Serveti errore infecti erant, Vicentiae et in aliis Venetae ditionis urbibus saepius eo conveniebant consilio, ut dogma de trinitate,

---

stitutio. Unum ex huius libri prooemio locum ad rem istam probandam afferre sufficiat: *Manifestationem divinam a seculis explicabimus*, inquit, *magnum citra controversiam pietatis mysterium, quod sit Deus olim in verbo, nunc in carne manifestatus, spiritu communicatus, angelis et hominibus visus, visione olim velata, nunc revelata. — Deum antea non visum nos nunc revelata facie videbimus, et lucentem in nobis ipsis intuebimur, si ostium aperiamus et viam ingrediamur. Aperire iam oportet ostium hoc et viam hanc lucis, sine qua nihil potest videri, sine qua nemo potest sacras scripturas legere, nec Deum intelligere, nec Christianus fieri. Haec veritatis est via certa, facilis et sincera, divinam Christi in verbo cognationem, spiritus sancti veram perfectionem, et eandem utriusque in Deo substantiam integre sola patefaciens, Deumque ipsum nobis ob oculos ponens. — — O Christe Iesu, fili Dei, qui de coelo nobis datus, deitatem patefactam in te ipso visibilem manifestas, te ipsum aperi servo tuo, ut manifestatio tanta vere patefiat. Spiritum tuum bonum et verbum efficax petenti nunc tribue, mentem meam et calamum dirige, ut divinitatis tuae gloriam possim enarrare, ac veram de te fidem exprimere. Causa haec tua est, et tuam a patre et spiritus tui gloriam explicans, quae divino quodam impulsu tractanda sese mihi obtulit, cum essem de tua veritate solicitus. Tractare aliquando coepi, et nunc iterum tractare cogor, quia completum est vere tempus, ut ex rei ipsius certitudine et ex signis temporum manifestis sum nunc piis omnibus ostensurus. Lucernam non esse abscondendam, tu nos docuisti, ut vae mihi sit, nisi evangelicem. Causa communis Christianis omnibus agitur, cui omnes tenemur. Superest, lector, ut te pro Christo benevolum usque ad finem exhibeas, et rem totam audies sermone veritatis absque aliquo fuco.*

quod ille inprimis impugnaverat, aliosque sive theologiae sive religionis Christianae locos altius indagarent, et sua quisque de iis cogitata alteri impertiens, sinceriorem, quam affectabant, doctrinam efficerent. Etenim res ea fuisse videtur, ut, si non omnes, tamen plurimi eorum, qui licentius tum Vicentiae et in vicinia in explicanda religione Christiana versabantur, ab initio quidem Serveti placitis aut vere caperentur, aut eius saltem in rebus divinis iudicandis admirarentur insolentiam, sed postea suo quisque ingenio divinam sapientiam interpretandam susciperet, qui autem aliunde huc accesserant, sive simili iam pruritu affecti, sive novam eamque simpliciorem fidem quaesituri, eiusmodi studiis mire permulcerentur, ac virorum iis vacantium societati adiungi sese facile paterentur. Nam qui his conventibus interfuisse dicuntur, quamvis a Serveti doctrina postea in singulis capitibus maxime recederent et alii alias foverent sententias, tamen et in reiiciendis dogmatibus quibusdam, ut de trinitate, de iustificatione, de paedobaptismo, et in restituendo Christianismo ad unum fere omnes consentiebant.

Ipsorum autem conventuum ne existimes eam rationem fuisse, ut singuli socii legis norma adstricti essent, qua, diversis licet in locis viverent dispersi, certo tamen quopiam tempore et in unum eundemque locum omnes sese congregarent unusque eorum praesideret [47]). Huius enim generis solemnia conventicula inquisitorum vigilantiam vix fugere potuissent; quum vero ipsam rempublicam in discrimen viderentur adducere, ne senatus quidem, quantumvis iudicandi de religione libertati faveret, haberi ea passus fuisset, quippe quae iis, qui a secre-

47) Colloquia ibi non academici conventus nomine habita esse, quod *Bockius* T. II. p. 420. coniecisse videtur, iam inde apparet, quod academia Veneta serius est constituta. Vid. quae Not. 30. p. 28. de hac re disputavimus.

tiore civitati erant inquisitione, de novis rebus moliendis valde suspecta esse deberent [48]). Rem ita se habuisse arbitror, ut, qui in agro Veneto saniorem appeterent doctrinam, humanae magis rationis, quam scripturarum sacrarum ope constituendam, similiter animo affectos quaererent, quibuscum de ea efficienda disputarent. Horum igitur virorum alii in aliis reipublicae urbibus conveniebant, communi vinculo omnes nullo alio inter se iuncti, quam quod idem sentirent vellentque, ac mutuas forte literas darent, et liberioris, quod ipsis adridebat, ingenii libros inter se communicarent, quin imo cum exteris quoque eiusdem mentis viris quandam coirent societatem [49]). Tales autem conventus per plures annos tam secreto haberi

---

48) In eiusmodi modo conventicula, non autem in ea, quae hic in censum veniunt, quadrant, quae *Ioh. Casp. von Orelli* in tractatu suo *Laelius Socinus* inscripto (Vid. *Wissenschaftliche Zeitschrift herausgegeben von Lehrern der Baseler Hochschule, 2ter Jahrg.* Basel 1824, 3. Heft p. 33 sq.) disputavit: *Wir wissen aus der Geschichte, dafs solche Bestrebungen oft mit stiller Nachsicht geduldet, ja heimlich begünstigt werden, so lange sie geheimen Staatszwecken förderlich oder wenigstens mit denselben nicht im Widerspruch zu seyn scheinen. So bald sie ihren eigenen Gang einschlagen, oder man ihrer nicht mehr bedarf, entledigt sich die Souverainität derselben so schnell, meist auch so undankbar, als möglich. — Indefs verträgt sich die Wahrscheinlichkeit einer geheimen Duldung jener Vicentinischen Collegien mit dem argwöhnischen Wesen der Venezianischen Staatsinquisition nicht sonderlich, und überhaupt scheint die anfängliche Förderung solcher Verbindungen mehr zu den Fortschritten neuerer Zeiten zu gehören.*

49) In *Siegm. Iac. Baumgartens Geschichte der Religionspartheyen, herausgegeben von Ioh. Sal. Semler*, Halle 1766. 4. p. 920. diserte affirmatur, tale cum absentibus sociis epistolarum commercium locum habuisse: *Sie haben auch abwesender Mitglieder ihrer errichteten Partey Briefe gelesen und beantwortet;* sed nulla afferuntur testimonia, quibus haec sententia nitatur.

poterant, ut vel vigilantissimos fidei haereticae inquisitores laterent.

Cui rei ita consideratae non repugnant ipsi tres eius scriptores supra iam allati, Wissowatius, Sandius et Lubieniecius, utpote qui simpliciter tantum referant, Vicentiae aliisque agri Veneti in urbibus collegia et colloquia de religione instituta fuisse, nullam praeterea legum, quibus singuli sodales fuerint obstricti, nullam constituti cuiusdam temporis ac loci, quo omnes convenerint, nullam praesidii, quod unus ex iis gesserit, nullam aliarum eiusmodi rerum mentionem iniicientes.

Quod autem iidem narrant, circa annum MDXLVI. collegia illa instructa esse, id non ita intelligendum esse puto, quasi antea nulla eorum fuerint; ipsi enim inter sodales ponunt viros quosdam, tunc temporis ex Italia iam egressos: sed illum annum propterea designasse videntur, quod Laelium Socinum cognitum habebant eo deliberationum ipsarum fuisse participem [50]), si non contendere malis, arctiorem tum coniunctionem singulos socios iniisse.

---

50) Ipse *Lubieniecius Hist. reform. Polonicae* p. 38. dubius fuisse videtur, ad quem annum initium collegiorum illorum referret. Nam: *Ex commentariis MSS. Budzinii*, inquit, *et vitae Laelii Socini curriculo colligo, circa an.* 1546. *in agro Veneto Vicentiae et in aliis urbibus non paucos veritati indagandae operam dedisse, et huic fini collegia et colloquia pia instituisse.* — *I. S. Vater Allgemeine Gesch. der Christl. Kirche seit dem Anfange der Reformation* p. 219. coniecisse videtur, collegia Vicentina ante an. 1546. inchoata esse, cum narret, Lael. Socinum iam an. 1536. illis interfuisse; sed errorem hic typographicum latere, nemo non videt.

Caput III.

Quinam viri collegiis Vicentinis interfuerint.

Quod ad ipsos nunc collegiorum Vicentinorum sodales attinet, in eorum numero praeter Laelium Socinum habentur: Leonardus, Abbas Busalis, Calaber, sed patre Hispano natus [1]), Bernhardinus Ochinus, Senensis, Ordinis Capucinorum Praeses s. Generalis et Pontifici Romano a sacris concionibus confessionibusque, Nicolaus Paruta, Italus [2]), Ioannes Valentinus Gentilis, Cosentia Neapolitanus, Iulius Trevisanus, Franciscus de Ruego, Iacobus de Chiari, Franciscus Niger, Bassianus s. Bassanensis, Darius Socinus [3]), Ioannes Paulus Alciatus, Mediolanus [4]), medicus,

1) Sic eum affert *Sandius* in *Appendice ad nucl. hist. eccl.* p. 90., in *Bibl.* vero *Antitr.* p. 18. de patria eius et gente nihil addit. *Lubieniecius* l. c. p. 39. dicit tantum: *Erat ex hac pia societate Abbas quidam Bucali dictus.*

2) De huius viri patria et gente nihil amplius narratur. Italum eum fuisse, *Sandius Bibl. Ant.* p. 25. memorat. *Bockius* vero T. II. p. 481. ex Parutarum eum gente in Luccensi republica ortum Venetiisque natum esse coniicit.

3) Num iste Darius *Laelii Socini* frater germanus, an cognatus fuerit, incertum est. *Bockius* T. II. p. 577. Laelii cognatum eum habet, cui sententiae adsentior; nam Laelius in epistolis suis ineditis, quae in bibliotheca Tigurina descriptae asservantur, Darii quidem saepe mentionem facit, sed nihil addit, ex quo possit concludi, ipsius fratrem eum fuisse.

4) Alciatum non Pedemontanum, sed Mediolanum fuisse, *Th. Beza* et *Io. Wigandus* testantur, et ille quidem in praefat. libelli: *Valentini Gentilis, teterrimi haeretici, impietatum ac triplicis perfidiae et periurii brevis explicatio,* Genevae 1567. 4. p. 14 sq. et in epist. 81. (*Epistolarum theologicarum Th. Bezae Vezelii liber unus,* 2. edit. Genev. 1575. 8. p. 329., in eius *tractationum theologicarum* Vol. III. Genevae 1582. fol. p. 295.), hic vero in tractatu: *de Servetianismo et Antitrinitariis*, Regiomonti 1575. 4. p. 1. Adsentitur *Pierre Bayle Dictionaire historique et critique* voce *Alciat.* — *Sandius B. A.* p. 27.: *Alciatus, nobilis Italus, e Pedemontio, aliis Mediolanensis.*

postea militum praefectus, aliique [5]). Num vero omnes isti viri consultationibus anno MDXLVI. habitis interfuerint, recte dubitatur, cum Ochinum certe et Nigrum constet tunc temporis non iam in Italia fuisse [6]). At utrumque tamen virum conventus illos antea frequentasse ac post discessum suum ex Italia epistolarum saltem consuetudine iis iunctum fuisse, admodum probabile est. Nam Ochinum Venetiis versatum esse anno MDXXXIX. et iterum MDXLII., hoc ipso autem anno Pontificis Nuntio haereseos, maxime in doctrina de iustificatione, valde suspectum ad Genevenses aufugisse, pariter novimus ac pluribus eum postea collegiorum Vicentinorum sodalibus, inprimis Laelio Socino, satis familiariter usum esse, et insolentiores de trinitate aliisque fidei Christianae articulis fovisse sententias. Quas quidem omnes, quamquam non contenderim, ex colloquiis eum in agro Veneto de religione habitis hausisse, tamen, liberioris saltem doctrinae semina ibi animo eum excepisse, a vero non abhorret [7]). Niger autem, quem scimus iam circa

---

5) Wissowatius commemorat modo Lael. Socinum, Iul. Trevisanum, Francisc. de Ruego, Alciatum, Parutam et Ochinum; sed *Sandius* in *Bibl. Ant.* p. 18. et *Lubieniecius* ceteros quoque sodales, quos nominavimus, afferunt.

6) Ochinum inter illos fuisse, qui anno 1546. in agro Veneto de religione consultarunt, ipse *Sandius* in *Append. ad nucl. hist. eccl.* p. 90. certo asserere non vult. Neque *Bayle Dictionaire* voce *Socin* huc eum refert.

7) Plura de Ochino memorant *Boverius Annal. Capuc.* T. I. ad ann. 1534, 1535, 1538, 1540, 1541, 1542. p. 190. 200 sq. 270 sqq. 287 sqq. 296 sqq. *Sandius Bibl. Antitr.* p. 2 sqq., *Lubieniecius* l. c. p. 109 sqq., *Bayle* voce *Ochin, Fueslin Beyträge zur Erläuterung der Kirchen-Reformations-Geschichten des Schweitzerlandes* T. III. p. 330 sqq. et T. V. p. 416 sqq., *Schelhorn Ergötzlichkeiten* passim, praecipue T. III. p. 765 sqq. 979 sqq. 1141 sqq. 2104 sqq. 2129 sqq., et *Bockius* l. c. T. II. p. 483 sqq.

annum MDXLIII. Clavennae in Raetia commoratum esse [8]), tametsi Sandius in *Bibliotheca Antitrinitariorum* nullam eius singularem facit mentionem, tamen placita quaedam protulit, quae vel ipsi Reformatae ecclesiae doctores improbabant [9]). Ceteros, quos indicavimus, viros collegiis Vicentinis anno MDXLVI. adscriptos fuisse, non est, cur negemus. Quibus tamen sociis accensendos esse et Iacobum Palaeologum, Matthiam Glirium, Andream Dudithium et Complatium, affirmare non ausim [10]). Neque magis, opinor, huc pertinent: Petrus Martyr Vermilius, Hieronymus Galatheus, Hieronymus Marius, Augustus Maynardus, Galeatius Caracciolus, Iulius Mediolanus, Immanuel Tremellius, Hieronymus Zanchius aliique ob fidem puriorem, quam amplexi erant, ex Italia profugi, quam illi Itali, qui fuga salutem sibi non quaesivere, sed fidem suam saniorem partim occultarunt, partim vinculis, imo vel acerbissima morte testati sunt, ut: Antonius Bruciolus, Aonius Palearius, Faninus Faventinus, Dominicus Bassanensis, Antonius Flaminius, Ioannes Mollius, Pomponius Algerius, Ioannes Franciscus Caserta, Victor Sorantius, Apollonius

---

8) Vid. *de Porta Hist. reformationis ecclesiarum Raetic.* T. I. L. I. p. 197., ubi narrat, ipso illo tempore, quo Curiae gymnasium cathedrale emerserit, *Nigrum* Clavennae fuisse; illud autem gymnasium anno 1543. conditum esse, ex iis, quae p. 195. Not. n. afferuntur, apparet.

9) Cf. *de Porta* T. I. L. II. p. 89 sqq. et *Bockius* T. II. p. 482. — Nigrum postea in Moravia vixisse, *Lubieniecius* p. 40. testatur.

10) *Sandius* quidem in *Append. ad nucl. hist. eccl.* p. 90. praeter alios et hos quatuor viros inter Antitrinitarios ex gente Italica oriundos refert, sed ipse addit: *nisi de paucis forte dubitandum*, et profecto videtur illos ex numero Vicentinorum sodalium exemisse, cum in *Bibliotheca* sua *Antitrinitariorum* Palaeologum certe, Glirium et Dudithium Italis non accenseat.

Merenda, Aloysius Priolus, Lactantius Ragno, Senensis, Petrus Carneseca, ipsique fratres Bononienses ac Vicentini [11]) et alii, quippe qui omnes sincero animo nomen evangelio darent, neque dogmata, vel Evangelicis sanctissima, improbarent, multo minus impugnarent.

Num autem ex illis Italis, qui praeter iam nominatos Protestantium postea theologis in haereseos veniebant suspicionem, unus alterve deliberationum in agro Veneto de religione institutarum particeps fuerit, deficientibus certis firmisque testimoniis, in ambiguo relinquimus. Ad hunc vero numerum plures adscribuntur Itali, ut: Camillus Siculus, qui iam anno MDXLII. in Vallem Tellinam confugerat, et, postquam ad Evangelica transierat sacra, Renatus dici maluit; Petrus Leonis; Franciscus Stancarus, Mantuanus; Celsus Martinengus, in ditione Veneta natus [12]); Coelius Secundus Curio; Ioannes Valdesius, Hispanus quidem, sed Regi Neapolitano a secretis, a quo Bernhardinus Ochinus sententiam suam contra receptam de trinitate doctrinam imbibisse fertur; Franciscus Calaber et Hieronymus Mediolanensis, duo quondam nonachi et Ochini discipuli; Titianus; Ioannes Andreas Paravicinus; Turrianus; Claudius Allobrox, Serveti assecla; Marcellus Squarcialupus, Plumbinensis, medicus; Georgius Blandrata, medicus, et Matthaeus Gribaldus, iureconsultus, qui et Venetiis docuerat, uterque Pedemontanus Antitrinitariorumque haeresi in ipsa Italia tinctus [13]); Matthias Gittichius, medicus, ipsis Vene-

11) Vid. Cap. II. p. 12 sq. et p. 23 sq.

12) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 252.

13) Blandratam et Gribaldum ipse *Sandius Append. ad nucl. hist. eccl.* p. 90. videtur inter collegiorum Vicentinorum sodales retulisse. Utrumque Serveti asseclis iam *Beza*, locis Not. 4. p. 38. citatis, adnumerat, et

tiis natus, et Paulus Scalichius, uterque circa an. MDXLVI. Italiae valedicens; Petrus Paulus Vergerius, Legatus olim Pontificis et Episcopus Iustinopolitanus, an. MDXLVIII. Italia excedens; Guilielmus Postellus, ex Normannia quidem oriundus, at circa an. MDXLIV. Venetiis subsistens, qui fanaticorum fere princeps et Serveti defensor extitit [14]); Minus Celsus, Senensis [15]), multique alii, inter quos forte ex iis quoque Antitrinitariis nonnulli referendi sunt, quos in Sabaudia frequentes esse, Bucerus iam an. MDXXXIV. Melanchthoni nuntiaverat [16]).

Caput IV.

Quomodo in collegiis Vicentinis pertractata et constituta sit religionis Christianae doctrina.

Quanam ratione a societate Vicentina de religione Christiana eiusque singulis locis disputatum sit, non solum iam inde colligere licet, quod omnes paene viros, qui collegiis illis interfuisse traduntur, humanae potius rationis, quam divinae revelationis fundamentis religionem superstructuros fuisse constat,

---

Gribaldum *Vergerius* in literis d. 6. Sept. 1554. Tubingae ad Bullingerum datis. (Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 159.)

14) De Postello v. *Mosheim Anderweitiger Versuch einer Ketzergeschichte* p. 455 sqq.

15) Vid. *Schelhornii Amoenitates literariae* T. VII. p. 86. eiusque *Diss. de Mino Celso*, et *Mosheim Anderw. Versuch* p. 296 sqq. Plura de his viris qui cognoscere cupit, adeat praeterea *Sandii Bibl. Antitr.*, *Lubieniecii* lib. cit., *Baylii Dictionaire historique et critique*, *Schelhornii* et *Strobelii* opera historiam literariam illustrantia, *de Portae* lib. cit., *Bockii Hist. Socinianismi Prussici* eiusdemque *Hist. Antitr.*

16) Vid. *Schelhornius De Mino Celso* p. 72.

verum etiam ex disertis apparet testimoniis. Wissowatius [1]) scilicet et Sandius [2]) memorant, in conventibus Vicentinis receptam de Deo trinuno opinionem in dubium revocatam esse, quod idem Sandius [3]) postea ita repetit, ut et dogma vulgare de Iesu Christi satisfactione huc referat, simulque totam fere religionem Christianam repurgare societatem Venetam studuisse innuat; nam dicit: *in quibus* (collegiis) *potissimum dogmata vulgaria de trinitate ac Christi satisfactione hisque similia in dubium revocabant.* Huc etiam referenda sunt, quae alibi narrat, collegia illa *ad sacrae scripturae sensum indagandum* aut *de rebus sacris* instituta esse [4]). Lubieniecius [5]) vero dogmata, quae ibi constituta sint, accuratius recenset. *Pertractabant hi* (collegiorum Vicentinorum sodales), inquit, *praecipua fidei Christianae capita. Unum scil. esse Deum altissimum, qui cuncta, ut crearit potenti verbo et efficaci iussu suo, ita et sapienti ac benigna providentia sua conservet. Filium eius unigenitum esse Iesum Nazarenum, hominem verum, at non simplicem, utpote virtute Spiritus S. in casta virgine genitum. Hunc a Deo patribus promissum, tempore definito posteris eorum missum, mysterium evangelii salutaris hominibus annunciasse, viam vitae aeternae non indulgendo carni, sed pie vivendo consequendae monstrasse, ex voluntate paterna vitam parandae et sanciendae peccatorum remissioni impendisse, ab eo resuscitatum et exaltatum esse; credentes in Christum eique morigeros a Deo iustificari. Ita pios homines immortalitatem, in primo Adamo perditam, in novissimo Adamo eandem recuperare. Hunc solum po-*

1) Vid. apud *Sandium Append. ad nucl. hist. eccl.* p. 87. et *Bibl. Antitr.* p. 210.
2) In *Append.* p. 90.
3) In *Bibl. Antitr.* p. 18.
4) v. c. *Bibl. Antitr.* p. 25.
5) *Hist. reform. Polon.* p. 38 sq.

puli sibi subiecti esse caput et dominum; hunc omnium vivorum et mortuorum constitutum iudicem, in ultimo die ad nos venturum; interea regnum mille annorum recuperaturum et obtenturum; ad ultimum Deo Patri regnum traditurum eique subiectum iri, ut Deus sit omnia in omnibus. Ceterum dogmata vulgo recepta de trinitate, de Christo Dei, qui sit ipse Deus creator, idem Deus, qui Pater, de Spiritu Sancto Dei, qui Deus pariter sit, de iustificatione vel per opera meritoria, vel per fidem solam, meritum Christi sibi applicantem, aliaque his similia esse opiniones per philosophos Graecos introductas. His dictis Lubieniecius adiicit: *Quae sane praecipuam religionis Christianae partem constituunt, et in lucem prolata totum Christianum orbem, ut excusso vitiorum veterno evigilaret, concusserant* [6]).

Praecipua igitur receptae fidei capita viri illi vel prorsus negabant, ut de trinitate et de Iesu Christi satisfactione vicaria, vel aliter constituebant, ut de Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto, de redemtione, de peccatorum remissione et de iustificatione. Alios contra fidei articulos retinebant, ut de Iesu praeter morem nato, ex morte deinde resuscitato et exaltato, nostrae

6) *Io. Ge. Walch Einleitung in die Religionsstreitigkeiten, welche sonderlich aufser der Evangelisch-Lutherischen Kirche entstanden,* 3. Aufl. Jen. 1733. 8. p. 563. aliique theologi contenderunt, in conventibus Vicentinis de religione Christiana secundum principia philosophiae Aristotelicae disputatum esse; sed quibus haec sententia probetur testimoniis, non perspicio. Nam quamvis non negaverim, tunc quoque haud paucos in Italia fuisse, qui dogmata Christiana illius philosophiae ope explanare accuratiusque constituere studerent, tamen praevaluisse, apud multos certe, Platonicam aut potius ecclecticam quandam philosophiam, Ciceronis maxime scriptorum lectione excultam, non ignoramus. Vid. quae Cap. II. p. 14. a nobis disputata sunt. Neque in ipsa, quam *Lubieniecius* exhibuit, dogmatum Vicentiae tractatorum recensione vestigia deprehenduntur, quae talem Aristotelicae philosophiae usum prodant.

immortalitatis restauratore, populi sibi subiecti capite et domino, omnium vivorum ac mortuorum constituto iudice, in ultimo die ad nos venturo, et ad ultimum Deo Patri regnum traditurо eique sese subiecturo, ut Deus sit omnia in omnibus. Unum vero articulum de regno millenario, iam pridem abolitum, repetebant.

At enim non ea tantum, quae Lubieniecius affert, sed alia quoque dogmata collegiorum Vicentinorum sodales examinasse, ac partim plane reprobasse, partim aliter constituisse, admodum vero est simile. Ad quam rem probandam non quidem provocaverim ad fratres illos Italos, qui anno MDXLII. ad Lutherum scripsere [7]); nam quamvis, ut ex literis eorum colligere licet, in ipso Venetorum agro coetus constituissent Evangelicos et dogma de coena sacra sedulo tractarent: tamen a doctrina Protestantiun non videntur recessisse, neque constat, unum alterumve eorum ad sententias Antitrinitariorum liberiores amplectendas inclinasse. Sed multo id maiori iure huc referri posse duco, quod omnes fere ex Italia profugi, inter quos etiam sunt, qui disputationum Vicentinarum participes fuisse dicuntur, plura alia fidei capita praeter commemorata uno fere eodemque modo definierunt, ut de statu animae post mortem, de praedestinatione, de libero arbitrio, de sacramentis, de paedobaptismo etc.

Cuius rei testimonio sunt ea, quae Petrus Dominicus Rosius de Porta [8]) de doctrina eorum Italiae exulum, qui in Raetia et Helvetia aliquamdiu vixere, ex limpidis fontibus refert. Concedit quidem, tales homines, inter quos Bernhar-

---

7) Vid. Cap. II. p. 23 sq.

8) *Hist. reformationis ecclesiarum Raeticarum* T. I. L. II. p. 63 sqq. Cf. *Ioh. Iac. Hottinger Helvetischer Kirchengeschichten* 3. Th. (Zürich 1708. 4.) p. 788 sqq.

dinum Ochinum, Camillum Renatum, Celsum Martinengum, Coelium Secundum Curionem, Laelium Socinum, Franciscum Calabrum, Hieronymum Mediolanensem, Petrum Leonis, Titianum [9]), Ioannem Andream Paravicinum, Petrum Paulum Vergerium [10]) aliosque numerat, non omnes eandem calcasse viam, sed alios plura, alios pauciora capita tenuisse, in quibus a communi doctrina discederent, usitato nomine vulgo Anabaptistas ea de causa dictos, quod istorum etiam dogmata inter sua admitterent [11]): verum tamen affirmat, subtiles ex illis et emunctae naris his in rebus consensisse. *Etenim omnium primo*, inquit, *hi sacrosanctae trinitatis dogma trahebant in censuram, aientes, eam doctrinam, quali modo soleat exponi, secum stare non posse, ut quum concipi nequeat abstrusum, sibi adeo contrarium atque contradictorium. Tum vero de statu animae post mortem curiosi, animae immortalitatem aperte fateri renuebant, aientes, pro certo asseri non posse, an anima suas functiones post mortem quoque continuet, vel an somno quasi consopita, ad diem usque iudicii stupeat. Praedestinationem particularem hi concoquere non poterant, sed inculcabant, eos solum ultimo Dei iudicio peremtorio damnari, qui negligentia aut inobedientia iustas poenas commeriti essent. Circa redemtionem hominum, credebant, nos salvatos esse non tam morte Christi, quam gratia Dei*

9) De hoc vid. *de Porta* p. 76 sqq.

10) Cf. *de Porta* p. 139 sqq., praecipue p. 155 sqq.

11) Inter eiusmodi advenas, eodem *de Porta* p. 65. narrante, quidam eo insaniae progressi sunt, ut non solum contenderent, Christum morte sua non tam peccatorum nobis remissionem, quam potius vim quandam acquisivisse, qua in hoc mundo fiamus impeccabiles, et Apostolos, dum viverent, non fuisse semper eo usque peccatores, ut necesse habuerint precari peccatorum veniam, verum etiam ecclesiasticae disciplinae ministeriique necessitatem negarent et diei dominici celebrationem impugnarent.

Patris, atque phrases meriti ac sanguinis Christi, quae tantopere ingeminarentur, debere sano sensu explicari, nisi talem Deo liberationem adscribere velimus, quae a nullo sano ac iusto admitti possit. Iidem dicebant, Christi iustitiam nemini posse imputari, sed ex suis, quae quisque fecerit, coram tribunali divino iudicandum esse; non adeo per peccatum hominem esse corruptum, ut nullum ad vere bonum habeat liberum arbitrium; concupiscentiam autem in peccatis numerandam non esse. Sacramenta nil aliud esse, quam tesseras confessionis Christianae et commemorativa signa mortis Iesu Christi. Praestare interea baptismum parvulis non adhibere, sed illum ad annos usque discretionis cognitionisque differre.

Vides igitur, illos viros de trinitate, de Iesu Christi satisfactione, de redemtione et de iustificatione idem fere sensisse, quod societatem Vicentinam iudicasse Lubieniecius narrat; sed de praedestinatione, de imputatione peccati Adamitici, de libero arbitrio et de concupiscentia retinuisse Pelagii aut potius Semipelagianorum doctrinam, in quam ipsa ecclesia Catholica tum maxime inclinabat, ac respuisse Lutheri et Calvini, quorum scripta in collegiis illis lecta et examinata esse videntur, de his rebus placita; in dogmatibus denique de sacramentis et de paedobaptismo plane recessisse et a Pontificiorum et a Protestantium doctrina.

Omnes vero istas sententias et Franciscum Calabrum probasse, ex catalogo errorum ab ipso disseminatorum, quem de Porta [12]) exhibet, apparere mihi videtur. Nam quo minus aliter statuamus, non obstat, quod haec quoque dogmata profecto horrenda praedicasse fertur: *Deum esse primam originem authoremque omnium perinde prave ac scelerate, atque bene iusteque factorum, quibus omnibus aeque voluptate afficeretur, qui utraque perinde vellet et ordinaret ac praedestinaret, etiamsi quis alterum per*

12) T. I. L. II. p. 68 sq.

latrocinium trucidaret'; nulla mala pravave opera, quae usquam ab homine perpetrentur, damnare hominem, aut ulli aeternae poenae obnoxium quenquam reddere eiusque salutem impedire, ut neque ulla rursus bona, et quae cum virtute fiant, opera quidquam coram Deo homini prosint, vel ad felicitatem ac vitam aeternam consequendam conferant, quum salus simul et damnatio hominum ab una eaque mera praedestinatione divina, absque omnium bonorum vel malorum operum respectu, perinde pendeant. Ipse de Porta dubitat, num tam impia ac cruda dogmata a *Francisco*, *Ochini* discipulo, proferri potuerint, quem simul negat pro suis illa unquam agnovisse, quare asseclis eius, hominibus rusticis et idiotis, qui magistri doctrinam non assecuti essent, adscribere mavult. Adsentior quidem, Francisci doctrinam hac in re ab asseclis eius male intellectam esse; sed, quamquam me non fugit, eadem vel similia haud paucos fanaticos homines pronuntiasse, coniicio tamen, Franciscum ut ceteros illos ex Italia profugos praedestinationem particularem sprevisse, et quas ad refellendam ille *Calvini* doctrinam ex ea argumentatus fuisset impias ac perniciosas sententias, eas auditores illiteratos pro ipsis magistri habuisse placitis [13]).

Camillum autem Renatum nonnulla eorum dogmatum, quae Itali in Raetia commorantes profitebantur, amplius esse persecutum [14]), ecclesiae Clavennensis confessio docet, cuius Cap. X. Camilli, suppresso licet eius nomine, errores recenset et damnat hoc modo [15]): *Damnamus omnes sectas et errores Anabaptistarum una cum sequentibus dogmatis impiis istis:*

I. Damnamus eos, qui dicunt, quod anima rationalis sit mortalis

---

13) Cf. *de Porta* T. I. L. II. p. 397.

14) Camilli dogmata et *Petrum Leonis* probasse constat. Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 69. 83. 104.

15) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 83 — 86.

ac moriatur una cum corpore, sed in novissimo die resuscitetur una cum corpore, et quod tunc demum totus homo fiat immortalis.

II. Damnamus eos, qui dicunt, quod animae defunctorum, utut vivant, dormiant usque ad novissimum diem, et tunc suscitentur a somno.

III. Item eos damnamus, qui dicunt, quod homines non resuscitentur in eadem ipsa natura et substantia, in qua prius fuerunt, sed in alia, quia corpus animale et corpus spirituale differunt et substantia et natura.

IV. Quod non sit aliqua lex naturalis in homine, qua cognoscuntur res, quas vel facere vel vitare debemus.

V. Quod Decalogus non sit utilis credentibus, causa quod non sint sub lege, et quod homines pii non habeant opus alia lege, quam Spiritus.

VI. Quod per peccatum Adae mors corporis intrarit in mundum, et quod, si non peccasset Adam, mortuus nihilominus fuisset corporali morte, tam ipse, quam posteri ipsius.

VII. Quod Sacramenta, veluti baptismus et coena Domini, non sint utilia his, qui recipiunt, sed sint instituta tantum pro signis, quibus discernuntur Christiani a non Christianis, et ut homo testificetur, se in Christum credere.

VIII. Quod Christus habuerit carnem peccati et concupiscentiam, et ob id sit dictus maledictus peccator, non quod fuerit sacrificium pro peccato, aut crucis ignominiam passus pro peccatore, sed quia fuit conceptus in peccato originali, et quantumcunque non habuerit peccatum actuale, potuit tamen peccare.

IX. Quod Deus per Sacramenta nullam rem operetur in his, qui utuntur, sed quod solummodo monstrent illa, quae est operatus.

X. Quod Christus non habuerit aliquod meritum, quia hoc non invenitur expressum in scriptura sancta.

XI. Quod Christus in cruce desperarit, vel Deo sit diffisus, quando dicebat: Deus meus, Deus meus, quid me dereliquisti?

XII. Quod homines impii non sint resurrecturi corporaliter in extremo die.

XIII. Qui dicit, quod non referat servare Ecclesiae formam in baptismo, pronuntiando verba illa: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus S. etc. mihi videtur, quod debeant ante baptismum moneri significationis istius, se istud qui dicit errat.

XIV. Quod baptismus non successerit circumcisioni, nec aliquam habeat similitudinem cum illa.

XV. Quod sermo Dei et eius Sacramenta solum confirment audientes et astantes, non eum, qui loquitur vel accipit Sacramenta.

XVI. Quod fides iustificans non habeat opus confirmatione.

XVII. Quod homines, qui a Deo non sint renati, sint irrationales, sicut bruta, quousque per Spiritum Dei non fuerint translati in regnum Christi.

XVIII. Quod Christus nullam fecerit promissionem in institutione coenae.

XIX. Quod baptismus et coena Domini non sint dignae promissionibus divinis.

XX. Quod exspoliatio vel exuitio veteris hominis in baptismo non sit repraesentata ei, qui baptizatur, sed astantibus.

XXI. Quod baptismus et coena Domini [16]) *sint solummodo signa rerum praeteritarum et nullo modo rerum futurarum.*

XXII. Quod memoria rei alicuius non fiat, ut is, qui illam facit, rei vel facti certior fiat.

Praeterea de trinitate et de animae immortalitate similes sententias et Paravicinum, Camilli amicum, fovisse, quem Vergerius secum duxerit Curiam, literae testantur Philippi Gallicii, huius coetus antistitis, d. XXIII. Febr. an. MDLII.

---

16) De coena sacra quam foverit *Camillus* sententiam, ex ipsius epistolis ad *Bullingerum* datis cognoscere licet. Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 104 sqq.

ad Bullingerum datae [17]). Nam: *Deprehendimus*, inquit, *Sabellii et Helvidii haeresibus non parum esse infectum* (Paravicinum), *siquidem nolebat confiteri neque recipere trinitatem discrimenque personarum illarum Deitatis, neque sempiternam B. Virg. virginitatem. Esse quidem, dicebat, Patrem, Filium, Spiritum S.* (*voces in Evangelio etiam positas*) *unum Deum; sed personas tres distinctasque scripturis non traditum. Ac Domini matrem concepisse et peperisse Dominum Iesum virginem concedebat; sed quod virgo permansisset etiam post partum illum, scripturis adstrui non posse; et idcirco se hoc ut rem curiosam et superfluam omittere, nec velle quaerere, quod Christiani nihil interesset. Nondum finis. Animas nostras post hanc corporis mortem fateri nolebat vivere; etsi hic certi quidpiam non ita potuerimus extorquere ex eo. Rogatus enim, rogabat et ipse, nunquam non subinde quaerens* (*quasi clavum clavo retundere volens*), *quid esset anima. Distinguebat nescio quid inter animam et animum. Hunc quidem non interire; animam vero nescire se quid esset, non posse ergo quid affirmare de eo.*

Ex hisce omnibus, quae hucusque de doctrina Italiae exulum in Raetia potissimum tunc commorantium exposuimus, haud obscure, opinor, sequitur, Vicentinos sodales et haec dogmata, quae illi, praeter fidei capita a Lubieniecio indicata, unanimo fere profitebantur consensu, pertractasse.

Minime tamen contenderim, in ipsis collegiis Venetis certam concinnamque doctrinae formam conflatam esse, de qua socii ad unum omnes una mente consentirent. Nam disputasse tantum videntur singuli socii de praecipuis religionis Christianae locis ac congruisse in summis rebus, ita tamen, ut suam quisque de iis sententiam retineret ampliusque deinde persequeretur; et constat etiam, plurimos eorum de singulis, quae in conventibus illis tractata et ex parte constituta fuerant, dogmatibus

17) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 155 — 158.

diversissimas postea habuisse opiniones. Itaque haud sane credibile est, ex ipsis illis collegiis emissos esse libros quosdam, qui doctrinam continerent ibi compositam. Memorat quidem Sandius [18]) scripta quaedam ab Italis illis edita; at ipse haud obscure innuit, haec non eo tempore, quo collegia floruerint, sed postea scripta esse. Nam ait: *Emissi sunt etiam in lucem ab Italis illis, quos in ditione Veneta collegia, ad sacrae scripturae sensum indagandum, instituisse memoravimus, sequentes tractatus, quos hic sub Laelio Socino, qui dictorum Italorum magna pars fuit, visum est collocare:* 1) *Articuli fidei.* 2) *Theses de Deo trino et uno, al. de Trinitate. Prodierunt in lucem circa an.* 1562., *nisi forte eaedem sint Theses, quae Nicolao Parutae tribuuntur, qui etiam unus fuit ex memorata cohorte. Nescio vero, an hae sint Theses, quae impressae sunt an.* 1568. *in fine disputationis Albanae, cuius praecipuus interlocutor fuit Georgius Blandrata, itidem Italus.* 3) *Voces ambiguae in sacra scriptura, quarum praecipuae fuisse feruntur: principium, creare, facere, mundus, Deus, omnia etc. Budzinio teste. Hae non dubito quin eae sint, quae in calce libri Ministrorum Sarmatiae et Transylvaniae reperiuntur, Blandrata* (*ut iam diximus*) *potissimum auctore concinnati.*

Totam nunc doctrinae adumbrationem, et a Lubieniecio et a Porta exhibitam, si diligentius consideraverimus, vix infitiari poterimus, cum Servetianismi vestigia, tum Socinianismi stamina hic reperiri.

Serveti doctrinae [19]) vestigia primum iam in iis deprehenduntur, quae Lubieniecius exposuit. Namque Serve-

---

18) *Bibl. Antitr.* p. 25.

19) Illo iam tempore, quo Vicentina collegia inchoata sunt, *Servetum* non solum *de trinitatis erroribus libros septem, dialogorum de trinitate libros duos* et biblia sacra scholiis suis illustrata edidisse, sed etiam librum suum primarium: *Christianismi restitutio*, si non integrum, tamen magna ex

tus, ut multas alias peculiares eius insolitasque sententias omittam, nolebat quidem, tres in Deo personas ita inter se disiunctas esse, ut tres personae humanae; sed in divina natura tria distinguenda neutiquam negabat. Unum esse Deum, aiebat, auctorem, gubernatorem ac patrem omnium, qui, ut mundum crearet et sese manifestaret communicaretque, in sua ipsius mente duas formas sive personales ideas (dispositiones, dispensationes, personales repraesentationes, *οἰκονομίας*, revelationis genera, modos se habendi appellabat) praeformaverit sive quasi duas potissimum substantiae suae vires exseruerit, Filium et Spiritum Sanctum [20]); utrumque tempore V. T. tanquam umbram seu typum praefiguratum, N. vero T. aetate rem ipsam, lucem sive veritatem factum, ita ut Verbum caro et Spiritus vis divina hominum animos sanctificans s. ex Spiritu Domini Spiritus Sanctus fieret. Christum habebat hominem, ideo filium Dei in libris sacris vocatum, quod a Deo immediate modoque inusitato in sancta virgine Maria sit genitus, et Deum appellatum, quod divinae virtutes ei sint impertitae. Concedebat, illum per Prophetas hominibus annunciatum et adumbratum tempore constituto hunc in mundum venisse, salutarem iis doctrinam praedicasse, vitae aeternae consequendae viam exemplo suo monstrasse, voluntati Dei Patris obsequentem pro salute hominum subiisse mortem, vivificatum postea et in coelum evectum esse. Declarabat, per solam quidem in Christum fidem hominem iusti-

---

parte descriptum divulgasse, iam supra p. 33 sq. ostendimus. Summam horum Serveti scriptorum vid. in *Mosheims Anderweitig. Versuch einer Ketzergeschichte* p. 25 sqq. 44 sqq. 88 sqq. 92 sqq., praecipue p. 309 sqq. et in *Schröckhs Christl. Kirchengesch. seit der Reformation* T. V. p. 494 sqq.

20) *Christ. restit.* Sect. I. *de Trinitate* L. V. init: *Quemadmodum Dei essentia, quatenus mundo manifestatur, est verbum, ita, quatenus mundo communicatur, est spiritus; estque manifestationi annexa communicatio.*

ficari i. e. iustum reddi (sive ut particeps fiat peccatorum veniae et bona opera edere queat, purificari ac sanctificari) et a damnatione servari; sed opera tamen bona suam habere mercedem, quippe quae iustitiam hominis augeant in hac et felicitatem in altera vita, et iuxta factorum rationem olim fore iudicium [21]); ita Christum ab ea nos captivitate peccati ac mortis redemisse, in qua propter Adami peccatum versati essemus, vitamque in Adamo amissam nobis restituisse. Hunc esse, dicebat, ecclesiae suae dominum, hunc rediturum esse ad regnum mille annorum instaurandum [22]), eoque finito iudicaturum vivos ac mortuos, ad extremum in consummatione rerum regnum restituturum Deo Patri; tunc simul cessaturum esse Spiritus Sancti ministerium totamque trinitatis oeconomiam, ut Deus sit omnia in omnibus. Denique et ipse credebat, simplicem religionis Christianae formam per philosophos Graecos obnubilatam esse atque corruptam, et dogmata per eosdem introducta, quae scripturae sacrae repugnent, ut dogma de trinitate.

Quod autem ad reliqua dogmata attinet, quae, Lubieniecius licet nullam eorum mentionem facit, in collegiis tamen

---

21) *Mosheim Anderweit. Versuch* p. 51. censet, utramque hanc de fide et bonis operibus doctrinam non posse inter se conciliari. Sed Servetus id videtur exprimere voluisse, per fidem quidem nos salvos reddi, sed ex ratione demum nostrorum operum apparere, qualis ac quanta fides nostra fuerit, nostramque felicitatem bonis operibus augeri.

22) Credidisse *Servetum* regnum millenarium, sed sensu spirituali sumtum, iam inde patet, quod singula Apocalypseos Ioannis oracula tam accurate interpretari studet ibique Antichristi nomine Papam Romanum praesignificatum esse putat. Vid. tota eius *Christian. restit.*, praecipue p. 664 sqq. Praeterea innuit hoc regnum eodem in libro passim, ut p. 408. et 422. Videtur tamen illud tempus intellexisse, quo ipse vivebat; nam ab hoc inde tempore coeptum esse regnum Antichristi i. e. Papae destrui, evangelium vero regnare, persuassimum habebat.

Vicentinis pertractata esse videntur [23]), et in his Servetianae doctrinae vestigia nobis occurrunt. Ac primum quidem immortalitatem animae Servetus non sic negabat, ut animam una cum corpore interire contenderet, at in libro tamen: *Christianismi restitutio* [24]) tam obscure, et in scripto, quod in carcere

23) Vid. supra p. 45 sqq.

24) Vid. locum primarium Sect. I. *de Trinitate* L. V. p. 181.: *Regeneratio differt a generatione, sicut spiritus gratiae differt ab innata anima. Spiritus iste est Deus, anima non est Deus, et per hunc efficitur anima Deus. Animae spiritus vitalis et eius elementa sunt corruptibilia. Spiritus novi elementa sunt incorruptibilia, qualia in coelo nunc habet vitalis ipse Christi spiritus. Anima omnis carnis ex Dei praescripto ita definitur. Anima est originalis quidam in sanguine vitalis vapor. Anima hominis est originalis quidam in sanguine mentis halitus. Spiritus autem regenerationis sanctus est cum innovatis regenerationis Christi elementis novus Deitatis halitus. Non est, quod verearis dicere, et animam nostram, et ipsum Christi spiritum sanctum sibi essentialiter iunctam habere eiusmodi elementarem substantiam, sicut verbum sibi iunctam habet carnem. Inseparabiliter eam substantiam contingit ignis animae nostrae, et ignis spiritus nostri, ac ea fovetur et nutritur, ut ignem videmus liquore et aëre foveri et nutriri. Quibus deficientibus, sicut extinguitur ignis, ita in nobis velut extinguitur anima, vitalibus actionibus privata. Imo seclusis his mundi elementis, sola in se considerata illa a Deo veniens animae substantia, velut elementaris est, sicut et angeli substantia. Nam spiritus ipse Dei, qui est spiritus generationis Christi, a quo angeli et animae emanarunt, talem elementarem seu superelementarem substantiam continebat in archetypo mundo. Eam ipsam simul cum humano spiritu continet nunc spiritus Christi humanati. Eam ipsam continet spiritus regenerationis nostrae, quando ex aqua, spiritu et igne de coelo generamur. Ibi in ipsis creatis simul intelliguntur increta. Et ea omnia in unam animae et spiritus substantiam coëunt. Considera, qualem Christus in coelo hodie continet substantiam, qualis sit eius halitus, qualis vitalis spiritus, qui ipse est spiritus sanctus, in se haec elementa continens, sibi hypostatice unita. Nam sicut verbum Dei est hypostatice homo, ita spiritus Dei est hypostatice spiritus hominis. Per potentiam tamen resurrectionis sunt omnia corporis et spiritus eius elementa innovata, glorificata, incorruptibilia facta; et ea*

Genevensi contra Calvini accusationes composuit [25]), tam ambigue ea de re locutus est, ut hanc saltem sententiam non excluderet, animam post mortem corporis functiones suas non continuare, sed ad diem usque iudicii somno quasi consopitam esse. Quam quidem opinionem quin animo imbiberit, eo minus dubitare possumus, quo magis constat, eum non modo contra Calvinum descensum Christi ad infernum satis acriter defendisse idque locum subterraneum intelligi voluisse, in quo animae, corporis vinculo solutae, tanquam umbrae versentur, verae vitae expertes [26]), verum etiam librum *de dormitione sanctorum* scribere ~~sibi~~ constituisse [27]). Videtur tamen hunc somnum ad illos homines retulisse, qui ante mortem Christi mortui sunt, et usque ad iudicium extremum ad infantes omnes sacro lavacro non tinctos [28]). Praedestinationem deinde particularem prorsus reiiciebat, damnationem improborum ab ipsorum male factis repetens; unam enim esse, aiebat, praedestinationem s. electionem, ex gratia Deum eligere, non propter opera, sed improbos propter opera damnari [29]). — Tum diserte affirmabat, per peccatum neque Adamum neque posteros ita fuisse corruptos, ut facultas

---

omnia Christus nobis communicat in baptismo et coena, se totum nobis communicans. Spiritus sanctus est ipse oris Christi halitus. Ioan. 20. *Quemadmodum simul cum aëre flavit Deus animam, ita simul cum aëre flat Christus spiritum sanctum.*

25) Cf. *Mosheim Anderweit. Versuch einer Ketzergeschichte* p. 206. coll. p. 170 sq. et 194.

26) Vid. eius *epist. ad Calvinum decima octava* in *Christ. restit.* p. 621 — 623.

27) Id testatus est *Alphonsus Lincurius*, Hispanus, in *praef. quinque librorum declarationis Iesu Christi, Filii Dei.* Vid. *Lubieniecius* p. 98. et *Sandius Bibl. Antitr.* p. 15.

28) *Christian. restitut.* p. 358 sq.

29) Vid. praecipue eius *epist. ad Calvin* 22. in *Christ. restit.* p. 632 sqq.

vere bonum libere volendi agendique sublata sit [30]); concupiscentiam in nobis remanentem pro peccato non habebat. — Denique de sacramentorum efficacia salutari non quidem dubitabat, ut qui sacramentum haberet visibile signum rei invisibilis et externum symbolum rei internae [31]); at paedobaptismum tamen impugnando [32]) et in doctrina de coena Dominica a Pontificia non minus quam a Lutherana et Reformata ecclesia dissidebat. Etenim cum censeret, aquam baptismi esse symbolum internae abluitionis et renovationis spiritus, tale autem lavacrum spirituale in parvulos non quadrare, paedobaptismum ipsi displicere necesse erat; in coena vero sacra per manducationem panis et vini externam et corporalem demonstrari credebat internam et spiritualem, siquidem Christus se nobis vere participet et communicet, internum hominem cibo ac potu reficiens [33]). Ceterum simili modo, quo postea Camillus Siculus [34]), qui in pluribus placitis eum secutus esse videtur, non solum dicebat, baptismum non in locum circumcisionis substitutum fuisse ac nullam inter utrumque ritum esse similitudinem, cum circumcisio illa carnalis non typus fuisset baptismi, sed alterius circumcisionis spiritualis in regeneratione factae [35]), verum etiam totam legem Mosaicam, et cerimonialem et moralem, a Iesu Christo esse abrogatam, Christianos ne sub decalogi quidem lege, sed sub gratia esse; Christi enim spiritum regenitos multo melius docere, quae facienda sint, simulque iis vires dare eosque adiuvare et peccantibus suppeditare remedium [36]).

---

30) Vid. eadem *ad Cal. epist.* 22.
31) *Christ. restit.* p. 507 sq.
32) *Chr. rest.* p. 411. 525 sqq. et ad *Calv. epist.* 15 et 16. p. 613 sqq.
33) *Chr. restit.* p. 502 sqq.
34) Vid. supra p. 48 sqq.
35) *Christ. restit.* p. 413 sqq.
36) *Christ. rest.* p. 413 sqq., praecipue *epist. ad Calvin.* 23 — 26. p. 638 sqq.

Tanta igitur inter Serveti ac societatis Vicentinae doctrinam cum intercedat similitudo, facile est iudicatu, quo iure Theodorus Beza, Hieronymus Zanchius, Ioannes Wigandus aliique illius aetatis theologi omnes istos Italos haereseos tunc suspectos Serveti placita secutos esse crediderint [37]).

Sed doctrinae illi, teste Lubieniecio in collegiis Vicentinis definitae, et Socinianismi stamina insunt. Simpliciorem enim ac veram, qua religio Christiana in scriptis Apostolicis gaudet, formam restituturi, ab illa sodales omnia removere

---

37) *Beza* in praef. *historiae Valent. Gentilis* p. 14 sq.: *Prodierunt tamen ex illo* (Serveto) *tanquam ex ludo quopiam discipuli non pauci, sui etiam ducis et insaniam et impietatem pene superantes.* Inter hos refert Paul. Alciatum, Val. Gentilem, Ge. Blandratam et Gribaldum, tum ita pergit: *Favit etiam illis, sed nimium sero detectus Bernardinus ille Ochinus, impurissimus hypocrita. Favit quoque Laelius Sozinus, Senensis, incredibiliter ad contradicendum et varios nectendos nodos comparatus, nec nisi post mortem cognitus huiusmodi perniciosissimis haeresibus laborare.* Idem deinde iisdem verbis repetit in *Epistola* 81. (vid supra Cap. III. p. 38. Not. 4.), in *vita* vero *Calvini,* praefixa huius *Epistolis et Responsis*, Ed. 3. Hanoviae 1597. 8., ad ann. 1549., in tract. theol. Vol. III. p. 395.: *Siquidem illum* (Lael. Socinum) — — *Serveti, Castellionis, Ochini denique furoribus favisse compertum est.* — *Zanchius* referente *Bockio* T. II. p. 415.: *Facile est divinare, unde hoc malum et per quos fotum. Hispania* (Serveti patria) *gallinos peperit, Italia fovit ova. Nos iam pipinientes pullos audimus.* — *Wigandus de Servetianismo* p. I. b.: *Sectatores postea Servetus accipit Gentilem, Campanum, Ge. Blandratam,* Medicum, *Matthaeum Gribaldum, Iureconsultum, Io. Paul. Alciatum, Mediolanensem, Gregorium Pauli, Pastorem Cracoviensem, Ochinum et alios.* — — *Eadem deliria secuti sunt Leon. Abbas Calaber, Martinus Cellarius, Laelius Sozzinus, Senensis, et alii quidam, ut liber Antitrinitariorum sine nomine editus* (Ministrorum Sarmatiae et Transylvaniae libri duo de falsa et vera unius Dei Patris. F. et Sp. S. cognitione — vid. supra Cap. I. p. 7.) *ipsemet annotat.*

studebant, quae successu temporis theologi ei immiscuissent, et concilia Romanique Pontifices tanquam divinitus tradita stabilissent ac sanxissent, quippe quae humana tantum essent commenta, sanae rationi prorsus contraria. Nolebant ullum fidei articulum, quem vere biblicum agnoverant, tametsi rationem superaret, spernere ac repudiare. Hinc vulgaria quidem dogmata de trinitate, de satisfactione Christi vicaria, de iustificatione vel per opera meritoria, vel per solam fidem, meritum Christi sibi applicantem bonisque operibus destitutam, aliaque his similia respuebant tanquam librorum sacrorum auctoritate minime nixa neque rationi consentanea: sed nil dubitabant credere, *Iesum virtute spiritus sancti in casta virgine genitum, ex voluntate paterna vitam parandae et sanciendae peccatorum remissioni impendisse, a Deo resuscitatum et exaltatum esse, hunc omnium vivorum et mortuorum esse constitutum iudicem, in ultimo die venturum, interea regnum mille annorum recuperaturum et obtenturum, ad ultimum Deo Patri regnum traditurum eique subiectum iri, ut Deus sit omnia in omnibus* — quum haec omnia censerent libris sacris contineri, quamquam rationem transgrederentur.

Eadem fere Sociniani docent. Neque enim ea solummodo religionis Christianae capita profitentur, quae rationi plana sunt atque perspicua, sed etiam ea, quae hominis captum superant sive supra rationem sunt, ut mysteria et miracula. Reiiciunt modo dogmata, quae rationi repugnare seu contra rationem esse opinantur. Talia vero dicunt in libris Apostolicis frustra quaeri, sed originem trahere vel ex philosophia vel ex superstitione. At non in principiis tantum, quae collegiorum Venetorum sodales in repurganda religione Christiana secuti sunt, verum in singulis etiam, quae definire studuerunt, dogmatibus mira est cum Socinianis consensio. Quod primum ad vulgare dogma de trinitate attinet, hoc quidem Sociniani reprobant, minime tamen dubitant: unum esse

Deum altissimum, cuius decreto atque iussu omnia sint creata sapientique ac benigna voluntate gubernentur; filium eius unigenitum esse Iesum Christum, natura quidem hominem verum, sed in virginis Mariae utero et sic sine viri ope, divini spiritus vi, conceptum et formatum indeque genitum, ac primum quidem ita comparatum fuisse, ut pati morique posset, postquam vero munus sibi a Deo demandatum his in terris obierit, posteaque ab eo e mortuis sit excitatus et in coelos assumtus, cum passionis tum mortis expertem factum; hunc populi Dei, imo omnium, tam hominum quam angelorum, constitutum esse dominum ac regem et vivorum mortuorumque futurum iudicem, qui suum tandem regnum Deo, patri suo, sit redditurus eique sese subiecturus, ut Deus sit omnia in omnibus; ceterum Iesum filium Dei unigenitum appellari propter suam praeternaturalem originem, Deum vero, quod divina potestate ac maiestate tanquam praemio pro obedientia sua a Deo sit ornatus; spiritum sanctum denique nihil aliud esse, nisi vim et virtutem Dei, maxime per evangelium efficacem. Quid de spiritu s. collegiorum Vicentinorum sodales cogitaverint, Lubieniecius quidem non affert, sed in hac etiam re conspirasse eos cum Socinianis, inde colligo, quoniam illi, qui iam filium Dei non pro substantia habent, spiritui s. multo minus substantiam adscribere possunt, ut ne commemorem, in hac quoque doctrina Servetum iam eos praeivisse. — Iidem Sociniani perinde ac viri illi dogmata vulgaria de satisfactione Iesu Christi vicaria et de iustificatione reiiciunt similique, quo hi, modo totum locum de redemtione explicant. Namque docent, servatorem nostrum, Iesum Christum, a Deo per Prophetas olim hominibus promissum ac tempore definito missum esse, nobis, si excipias, quod praeter morem genitus et natus, eximiis donis instructus et ab omni peccati labe immunis fuerit, per omnia simillimum; hunc salutare evangelium, sive benignam Dei voluntatem poeni-

tentibus peccata condonandi, annunciasse, viam salutis aeternae consequendae exemplo virtutis suae nobis monstrasse, cruenta sua morte non Deum nobis, sed nos Deo reconciliasse s. peccatorum veniam patris voluntati obsequendo, qui sua sponte nobis in Christo se placatum exhibuerit, nobis parasse atque obsignasse; credentes igitur in Christum s. potius per Christum in Deum, in summum eius amorem in morte Christi nobis exhibitum, ut ad Deum adduci se patiantur eique morem gerant, a Deo iustificari s. pro iustis haberi, ab eo peccatorum condonationem adipisci in eiusdemque gratiam recipi; ita pios homines vitam immortalem in Adamo amissam per Christum recuperare. — Regnum vero millenarium, quod isti viri profitebantur, Sociniani ne spirituali quidem sensu in publicam fidei suae formulam receperunt; at fuerunt tamen inter illos, qui existimarent, Iesum in hoc demum regno quondam regnaturum esse [38]).

Sed in ceteris quoque dogmatibus, quae a collegiorum Venetorum sociis examinata posteaque a Camillo potissimum Siculo defensa esse coniecimus, Socinianismi stamina deteguntur. Etenim Sociniani statuunt, animam a corpore separatam omnis sensus esse expertem nullasque exercere posse operationes, sed una cum corpore dormire usque ad diem resurrectionis, qua Christus eam sit resuscitaturus ac novo eoque spirituali corpore circumdaturus, impios vero una cum diabolis non in aeternum esse victuros, sed peracto iudicio extremo

---

38) Vid. *Epist. Samuelis Crellii* ad amicum, quae legitur in *Thesauro epistolico La Croziano* ed. a I. U. Uhlio. T. I. Lips. 1742. 4. p. 110.: *Fateor, illa Unitariorum monstra, quae Christum invocandum esse inficiantur, aut tantum pro propheta fere in regno demum millenario regnaturo habent, facilius eo insaniae delabi posse.* Cf. *Bockius* T. I. P. I. p. 169.

deletum iri [39]). — Praedestinationem, quae dicitur, absolutam iidem non admittunt, sed conditionatam tantum credunt esse, qua Deus ante mundum conditum obsequium ipsi praebituris, salutem aeternam, parere autem recusaturis damnationem decreverit futuram [40]). — Peccatum originis et ipsi negant. Concedunt quidem, in hominibus natura exiguas admodum esse vires ad ea, quae Deus ab illis requirat, perficienda; at contendunt tamen, libero vere bonum eligendi gaudere eos arbitrio, ita ut, divino auxilio accedente, possint divinae voluntati obtemperare, concupiscentiam autem non in peccatis esse numerandam. Sacramenta denique ritus tantummodo externos habent, quibus Christiani a non Christianis discernantur, neque ullam iis salutarem vim et efficaciam tribuunt. Ac baptismum quidem non ad Christianos, sed ad eos modo pertinere opinantur, qui ex Iudaeis vel gentilibus ad religionem Christianam accedant; baptismum igitur infantum prorsus repudiant. Coenam vero sacram non a Christo institutam esse dicunt ad solemnem recordationem mortis ipsius, sed ad solemnem huius beneficii celebrationem; nam nosmet praedicare solummodo beneficium per mortem Christi in nos collatum proque eo gratias Deo agere.

In hisce fere omnibus placitis haud difficile est iudicatu Socinianos valde congruere ut cum plurimis Italiae

---

39) In *Catechesi* quidem *Racoviensi* (1609), Artic. *de via salutis* Cap. I. haec tantum leguntur: *Homo natura nihil habet commune cum immortalitate;* sed *Faustus Socinus*, *Valent. Smalcius*, *Christoph. Ostorodus* aliique illam doctrinam haud obscure profitentur.

40) Miror, quod plures vel nostrae aetatis theologi, v. c. *Schottus* et *Wegscheiderus*, in compendiis suis dogmaticis affirmant, ecclesiam Lutheranam decreti divini aeternitatem et immutabilitatem recte adversus *Socinianos* tueri, cum hi diserte doceant, decretum divinum ante mundum conditum factum esse neque unquam posse immutari.

exulibus, sic inprimis cum Camillo Siculo [41]). Huc referenda potissimum sunt huius viri dogmata de animae immortalitate naturali eiusque somno post mortem corporis ad novissimum usque diem, de novo eoque spirituali corpore, quocum pii olim in vitam sint redituri (cf. Camilli placitorum I — III.), et de interitu impiorum futuro (XII.), de sacramentis (VII. IX. XIII. XV. XVIII — XXII.), de merito, quod Christo sit abnegandum (X.), et de fide iustificante, quae non egeat confirmatione (XVI.). Simili nunc modo et in reliquis Camilli placitis Socinianismi stamina ostendemus. Sic Sociniani nullum alium religionis fontem agnoscunt, nisi revelationem, censentes, hominis rationem sibi ipsi relictam non posse Deum eiusque voluntatem cognoscere [42]). Eandem sententiam iam Camillus sic expresserat: non esse aliquam legem naturalem in homine, qua cognoscantur res, quas vel facere, vel vitare debeamus (IV. coll. XVII.). De decalogo paulo aliter, ac Camillus (V.), statuunt; nam concedunt quidem, leges cerimoniales aperte et iudiciales tacite a Christo abolitas esse, attamen contendunt, ipsum decalogum, a Christo perfectius explicatum et auctum, observandum esse, sed eatenus tantum, quatenus Iesus eum probaverit. — De effectu vero lapsus Adamitici plane idem docent; namque non aliud malum ex Adami delicto ad posteros manasse dicunt, quam necessitatem moriendi, non quidem ex ipsius delicti vi, sed quoniam homo, qui iam natura mortalis fuerit, ob peccatum istud suae naturali mortalitati sit relictus, et quod naturale fuerit, in peccantis poenam irrogatum sit; posteros autem eodem malo affici, quia ab Adamo originem ducant (VI.).

---

41) Vid. supra p. 45 sqq., praesertim p. 48 sqq.

42) Cf. *I. I. C. Zerrenner Neuer Versuch zur Bestimmung der dogmatischen Grundlehren von Offenbarung u. heiliger Schrift nach dem System der Socinianischen Unitarier,* Jena 1820. 8. p. 12 sqq.

Negant praeterea, baptismum successisse circumcisioni et habere cum hac similitudinem (XIV.). In paucis modo decretis Sociniani a Camillo dissident. Sic huius sententiam, quod Christus habuerit carnem peccati atque concupiscentiam et propterea sit appellatus maledictus peccator, quodque fuerit conceptus in peccato originali (VIII.), non amplectuntur, quippe qui non modo peccatum originis negent, verum etiam Iesum spiritu sancto conceptum esse et ab omni peccati labe liberum statuant. Nihilo plus iidem et hoc Camilli placitum probant, Christum in cruce desperasse vel Deo diffisum esse, quum diceret: Deus meus, Deus meus, quid me dereliquisti? (XI.) Nam Christum summum perfectissimumque virtutis, praesertim obedientiae erga Deum ac fiduciae in eo positae exemplum fuisse credunt.

Ex hac tota nunc doctrinae, in congregationibus Vicentinis constitutae, cum Socinianorum placitis comparatione luculenter, opinor, apparebit, quonam iure contendi queat, Socinianam fidei formulam ex disputationibus illis ortum traxisse. Id quidem non affirmaverim, quaevis Socinianorum dogmata ex hoc fonte fluxisse; vidimus enim, non omnia, sed praecipua tantum religionis Christianae capita in his conventibus esse tractata, eorumque alia, ut dogma de regno millenario, non ab omnibus Socinianis recepta, alia ab his subtilius explicata et ex parte aliter definita [43]): at principia tamen et prima nonnullorum, quae Sociniani profitentur, decretorum lineamenta ex Vicentinis consultationibus repetenda esse duco. Ipse vero Laelius Socinus, primus Socinianae disciplinae auctor, quamvis anno MDXLVI., quo iuvenis annum aetatis vicesimum primum agens collegiis Vicentinis adscriptus esse perhibetur, omnia in

43) Socinianos non omnia *Serveti* placita probasse, iam *Sandius Bibl. Antitr.* p. 9 sqq. et *Lubieniecius* p. 98. memorant. Idem valere de *Gentilis* decretis, *Lubien.* p. 107. affirmat.

his definita dogmata sua fecisse non videtur, haec tamen in animum eius ita insinuasse ibique tam alte infixa fuisse arbitror, ut postea, cum Helvetiae ac Germaniae theologi, quos de variis religionis Christianae capitibus consulebat, ei, mire praeterea Camilli Siculi doctrina allecto, non satisfacerent, ea saepius secum reputaret, ab iis quaedam ut falsa seiungeret, quae vero probabat aut ex suo ingenio addebat [44]), in dies magis magisque

44) *Wissowatius* quidem apud *Sandium* et in *Append. ad nucl. hist. eccl.* p. 87. et in *Bibl. Antitr.* p. 210. memorat, *Laelium Socinum* placita sua de trinitate, de filio Dei et alia iam prius excogitasse, quam Vicentina collegia frequentaverit. Nam: *Horum praecipuus*, inquit, *fuit Laelius Socinus, Senensis, qui iuris humani studium familiae suae hereditarium aggressus, dum id e iuris divini fontibus hauriendum ratus, sacros libros evolveret, vulgo recepta ecclesiae dogmata, praesertim illud de SS. Trinitate, ab eis discrepare animadvertit, atque sententiam de Filio Dei, Iesu Christo, qui non ante Mariam, matrem suam, extitit, quasi sub cineribus delitescentem resuscitavit.* Idem iam ante Wissowatium *Przypcovius* narraverat his verbis: *Huius ego viri* (Laelii) *memoriam, maxima posteritatis admiratione dignam censeo, qui tantillo, quo vixit, tempore tot tantosque errores, qui in ecclesiam furtim irrepserant, non modo suis vestigiis odoratus est, sed ex ipsis cubilibus extractos primus iugulari docuit. Is a patre Mariano ad studium impulsus nomini suo hereditarium, humanarum legum scientiam ex ipsis divini iuris fontibus hauriendam sibi putavit. Quo consilio dum ss. libros impensius evolvit, non difficulter deprehendit, plurima ex iis, quae vulgo recepta sunt, ecclesiae dogmatis, divinis testimoniis plane adversari. Idque tanto facilius, quod ex iis pleraque rationi quoque, et, quae nobis ipsa natura insevit, principiis repugnarent. Cum igitur ad excellentis ingenii altitudinem et iudicii acrimoniam singularis animi probitas accessisset, deprehensis ecclesiae erroribus (quod plerique faciunt) non est abusus ad scripturae et religionis contemtum, sed potius scripturae et religionis Christianae auctoritate usus est ad sanandos ecclesiae morbos, qui nisi detectis erroribus curari non poterant. Itaque in eo studio, ad quod sublimis et pia mens inflammato impetu rapiebatur, non sine divina procul dubio ope, magna ei lux repente oborta est, praecipue cum ad eruendos scripturae sensus Orientalium linguarum, Hebraeae praecipue atque Graecae,*

adamaret, amplius persequeretur atque constitueret accuratius. Quam sic explanatam doctrinam fratris filius, Faustus, ita deinde amplexus est, ut recedere quidem ab ea non auderet, sed addendo, quae desiderabat, et excolendo, quae minus definita esse censebat, perfectiorem eam reddere simulque in artis formam redigere studeret. Ceterum huic fidissimo Laelii discipulo contigit, ut Unitariis, ex Italia maximam partem profugis, qui in Polonia satis frequentes erant similesque iam sententias habebant, de veritate doctrinae ipsius patruique persuaderet, et sic sectae Socinianorum existeret conditor.

Hac igitur ratione magnam Vicentinos conventus in constituendam *Socinianorum* formulam exseruisse vim, probasse mihi videor. Quod si concesseris, non facile tibi persuadeatur sines, Lubieniecium dogmatum, de quibus sodales illi disputare solebant, indicem effinxisse, ut Socinianae doctrinae priorem assignaret originem. Etenim ut taceam, cum Wissowatium, tum, qui Socinianorum familiae neutiquam accensendus est, Sandium in re primaria cum Lubieniecio consentire, probe intelliges, si iste scriptor hac ipsa re Socinianorum disciplinam commendare voluisset, non tam nude eum ac simpliciter singula dogmata, neque haec tantum, sed cetera quoque Socinianis propria enarraturum, multoque uberius atque accuratius, ut paucis complectar, ita expositurum fuisse, ut illorum decreta luculentius inde apparerent, neque locum de regno millenario, quem plurimi certe illorum non admittunt, allaturum [45]).

---

quin et Arabicae cognitionem attulisset. Sed quamvis largiar, has sententias iam tum Laelium habuisse, tamen nil obstat, quo minus censeamus, easdem ab eo collegiorum Venetorum sodalibus ad disputandum propositas ac postea magis excultas esse.

45) Dubitat quidem Summe Venerandus *Bengelius Archiv für die Theologie u. ihre neuste Literatur* 1. B. 3. St. (Tübingen 1816. 8) p. 717., de libello meo: *Vita Laelii Socini* iudicium ferens, num *Lubieniecius* dogmata in collegiis Vicentinis tractata recte indicaverit, ac suspi-

Caput V.

Quem collegia Vicentina habuerint exitum.

Quum numerus eorum virorum, qui in agro Veneto coetus clandestinos habebant, in dies ita auctus esset, ut quadragenarium excederet [1]), inquisitorum vigilantiam res diu latere vix potuit [2]). Qui cum comperissent, viros illos non abhorrere tan-

---

catur, quemadmodum scriptor iste in *Serveti* orationem, quam p. 99 — 105. afferat, Socinianorum decretum de trinitate intulerit, sic sua eum s. potius Socinianorum placita Venetae societati adscripsisse. Sed liceat mihi pauca contra monere. Ac primum quidem, quod ad *Michaelis Serveti Tarraconensis de vera Dei et filii eius cognitione sermonem, antequam Genevae combureretur*, attinet, quamvis non contenderim, ab ipso Serveto eum profectum esse, tamen id certum indubitatumque esse mihi videtur, non *Lubieniecium* auctorem eius fuisse. Nam ut omittam, non eandem plane illa oratione contineri Socinianam de trinitate doctrinam, ipse *Lubieniecius* p. 98. Serveti de filio Dei placita paulo aliter commemorat ac diserte addit: *Atque horum quidem nonnulla, praesertim de proprie dicta et essentiali generatione in divinis, ut et alia quaedam eius dogmata nos non probamus, non tamen hominem pio zelo et invicta virtute et Pontificiis vinculis feliciter eluctatum, propterea damnamus, nec quenquam ob has vel similes sententias rogo adiudicandum censemus, sicut fecit Calvinus.* — *Moshemium*, qui in libro: *Anderweit. Versuch einer Ketzergesch.* p. 451 sqq. orationem illam exhibet, mecum eatenus consentientem habeo, quatenus et ipse iudicat, Lubieniecium eam non effinxisse, sed tanquam genuinam operi suo inseruisse. — Fides autem Lubieniecii hac re minime tollitur, imo ne minuitur quidem ita, ut et indicem doctrinae Vicentinae excogitasse eum nobis persuadeamus, praesertim si perpenderis, quae de ista re a me iam disputata sunt.

1) Vid. *Lubieniecius* p. 39. et *Sandius Bibl. Antitr.* p. 18. Idem innuit *Wissowatius* apud *Sandium* in *B. A.* p. 210. et in *Append. ad nucl. hist. eccl.* p. 87., et ipse *Sandius* in *Append.* p. 90., Wissowatii verba repetens: *Collegia sunt inchoata a sociis fere* 40.

2) Temeritatem horum hominum unius ex sociis imprudentia patefactam esse, haud absimile quidem vero est, sed scriptores Socinianos id me-

tum a fide Catholica, sed etiam studuisse dogmata abolere, quae ipsa religionis Christianae habebantur fundamenta, in eos tanquam perniciosissimos haereticos gravissime animadvertendum esse censebant; neque tales homines senatus Venetus, ne ipse in tantae haereseos suspicionem veniret, vita privari recusavit. Quamobrem tres ex sociis comprehensi eorumque bini, Iulius Trevisanus et Franciscus de Ruego, Venetiis suffocati sunt, et ita quidem, ut alligatis ad collum lapidibus mari immitterentur, quo supplicio haereticos afficere Venetorum mos erat; tertius autem, Iacobus de Chiari, in carcere obiit sicque violentae, quae et ipsi imminebat, morti exemtus est [3]). Ceteri sodales praesentissimo vitam periculo subtrahentes, patria relicta, in diversas aufugêre terras. Et Leonardus quidem, Abbas Busalis, cum nonnullis apud Turcas liberum de rebus sacris iudicium quaesivit, eoque asylum ibi facilius invenit, quo minus cum comitibus, qui Thessalonicae consederunt, dogma de trinitate profitebatur, Muhamedanis maxime invisum [4]); vitam postea

---

morare, *Moshemius Institutt. hist. eccl. libri* IV. p. 712., *Ioh. Casp. Müllerus Dissert. historico theologica de ortu, vero religionis systemate, progressu, statu hodierno sectae Unitariae seu Socinianae, ac de prono e secta Protestantium ad illam transitu*, Magontiaci 1784. 8. p. 9., aliique temere dicunt. *Joh. Jac. Rambach Histor. u. theol. Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evangelisch-Lutherischen Kirche mit den Socinianern, aus der eignen Handschrift des Verfassers — in 2 Theilen — ans Licht gestellt von Christian Hecht,* Coburg u. Leipzig 1745. 4. T. I. p. 129. narrat, Abbatem *Leonardum Bucali* arcana societatis Vicentinae silentio tegere non potuisse. Quod unde haustum sit, non intelligo.

3) *Lubieniecius* l. c. omnes istos tres viros commemorat, *Wissowatius Iulium* tantum *Trevisanum* et *Franciscum de Ruego* captos et suffocatos esse dicit, et *Sandius*, qui in *Append.* p. 90. ex Wissowatii narratione eosdem affert, in *Bibl. Antitr.* p. 19. memorat modo, quosdam capitis supplicio affectos esse.

4) *Lubieniecius* putasse videtur, Abbatem illum simul cum aliis 40 so-

vestibus conficiendis Damasci traduxit [5]). Qui vero ad Turcas non concesserant, silentio tempestivo occultari studuerunt [6]), sed cum ne hoc quidem modo satis in patria tutos se haberent, in Helvetiam, Moraviam atque Poloniam abierunt. Ex his [7]) Laelius Socinus anno MDXLVII. primum in Helvetiam se contulit [8]), et Gallia, Britannia, Belgio, Germania, Polonia

---

ciis ad Turcas aufugisse, et *Baumgarten Gesch. der Religionspartheyen* p. 920. verba eius ita intellexit. Sed Lub. minus accurate rem exponit, dicens: *Erat ex hac pia societate Abbas quidam Bucali dictus, qui, arcanis suis collegiis et studiis evulgatis, in praesentissimo cum versaretur discrimine salutis, una cum aliis* 40 *viris fuga se eripuit, et quam Christianus inter Christianos habere non poterat, apud Turcas quaesivit et invenit salutem. Thessalonicam isti concessserant, exceptis tribus, Iulio Trevisano, Franco de Ruego et Iacobo de Chiar, quorum illi duo Venetiis suffocati, tertius iste morte naturali obiit. Et Abbas quidem Damasci vitam finivit. Qui vero ad Turcas se non contulerunt, silentio tempestivo tecti, nec tamen satis in patria tuti in Helvetia, Moravia, tandem et in nostra Polonia refugium invenerunt.* Quibus verbis nihil aliud ille, ut mea quidem fert opinio, exprimere voluit, nisi hoc, omnes collegiorum sodales, quorum numerus quadragenarium excederet, fuga se eripuisse, et Abbatem quidem illum una cum aliis apud Turcas, ceteros autem apud Christianos exteros refugium invenisse. Nam quo minus aliter locum istum intelligamus, non solum obstat, quod Lub. post verba: *Tessalonicam isti concesserant,* statim addit: *exceptis tribus — obiit*, quibus verbis non facile id indicare potuit, tres illos viros in ipsa fuga captos esse, sed etiam quod *Wissowatius* et *Sandius* diserte affirmant, ex 40 illis sodalibus alios ad Turcas, alios in alias terras se contulisse.

5) Id, *Sandio Bibl. Antitr.* p. 18. testante, *Ministri Sarmatiae et Transylvaniae* L. I. Cap. 3. memorant.

6) Cf. *Lubieniecius* l. c.

7) *Ochinum* et *Nigrum* iam ante ann. 1546. Italiae valedixisse, Cap. III. p. 39 sq. probare studuimus.

8) Hoc ipso anno 1547. *Laelium Socinum* ex patria sua in Helvetiam concessisse, praeter *Lubieniecium* ac *Wissowatium* etiam *Przypco-*

ac Moravia peragratis, Tiguri tandem substitit ibique anno MDLXII. est mortuus. Hunc ante discessum suum ex Italia Bononiam, ubi pater eius, *Marianus iunior*, et, ut videtur, frater etiam, *Celsus* [9]), tunc iurisprudentiam docebant, et Senas, ubi ipse natus erat, frater *Alexander* docuerat aliique fratres, certe *Cornelius* et *Camillus*, una cum *Fausto*, Alexandri filio, agebant, revisisse, haud absimile quidem vero est, certo tamen

---

vius in vita Fausti Socini testatur. Itaque errant, qui illud Laelii iter ad an. 1546. referunt, ut *Gottfr. Arnold Unpartheyische Kirchen- u. Ketzer-Historie* T. II. L. XVI. Cap. 33. §. 13. p. 878., *Bockius* T. II. p. 584., *Joh. Dietr. Hartmann Gesch. u. Lehrbegriff der Socinianer* in s. *Beiträgen zur Christl. Kirchen- und Religions-Geschichte* 1. Bändchen, Jena 1796. 3. p. 165. aliique, aut ad ann. 1544, ut *Rambach* l. c. T. 1. p. 94., aut ad ann. 1548, ut *Joh. Jacob Hottinger Helvetischer Kirchen-Geschichten* 3. Th. (Zürich 1708. 4.) p. 790., *Sam. Fried. Lauterbach Ariano-Socinismus olim in Polonia. Der ehemalige Polnische Arianische Socinismus* etc. Frankfurt u. Leipzig 1725. 8. p. 46., et *Caspar v. Orelli* lib. cit. p. 34., qui id coniecisse videntur ex literis, quas *Nicolaus Majerus*, nomine Principis Wirtembergensis in Italiam ablegatus, d. 8. Oct. 1748. Bononia ad *Bullingerum* misit. (Vid. *Joh. Henr. Hottingeri Hist. eccl.* T. IX. Tiguri 1667. 8. p. 436.) Nam: *Si nondum adest*, inquit ille, *brevi tamen ad vos venturum credo iuvenem valde pium et doctum quendam, Italum Senensem, Patricium, et qui propter fidem in Christum peregrinatur, quemadmodum is dubio procul retulit relaturusve est. Filius est Mariani Socini* etc. Ex his autem literis id tantum colligere licet, Laelium an. 1548. Tigurum appulisse; sed iam ann. 1547. in Raetia et Genevae fuisse, compertum habemus. Vid. libell. meus: *Vita Lael. Soc.* p. 16 sq. Hoc ipso autem anno 1547. iam Tigurum eum advenisse, *Camben* in *Fueslins Beyträgen* T. III. p. 328. et ipse *Fueslin Kirchen- u. Ketzerhist.* T. II. p. 137. Nota temere contendunt.

9) Vid. *Przypcovius* l. c. et *Guid. Panzirolus de claris legum interpretibus*, ed. Hoffmannianae, Lips. 1721. p. 272. cf. *Bockius* T. II. p. 576.

probari nequit [10]). — Nicolaus Paruta quo primum aufugerit, collegiis Vicentinis dissipatis, ignoramus; nam id tantum novimus, per tempus aliquod postea in Moravia vixisse [11]). Eodem concessit Darius Socinus [12]), postquam in Raetia aliquamdiu et Helvetia commoratus fuerat [13]). De fatis Valent. Gentilis et Pauli Alciati serioribus plura memoriae tradita sunt. Sed sufficit hic memorare, illos anno MDLVIII. Genevam venisse et, quocunque locorum sese contulissent, placita sua sparsisse; et Gentilem quidem, Helvetia, Gallia, Polonia, Moravia, Austria, Sabaudia emensis, anno MDLXVI. Bernae capite plexum esse, ut blasphemum in sanctam trinitatem, calumniatorem ecclesiarum Evangelicarum ac periurum [14]), Alciatum vero, Helvetia, Polonia et Moravia lustratis, Gedani circa an. MDLXV. obiisse [15]).

Quo anno ipsa collegia Vicentina disturbata sint ac dissipata, certo quidem non constat; at cum Lubieniecius, Wissowatius et Sandius principium eorum ad annum

---

10) Laelium tunc Bononiam repetiisse, ex literis *Nic. Majeri* iam citatis colligi posse videtur. *Siena* eum in Helvetiam venisse, *Camben* in *Fueslins Beyträgen* etc. T. III. p. 328. et *Bockius* T. II. p. 584. affirmant; sed quo nitantur testimonio, nescio.

11) Vid. *Lubieniecius* p. 40. Cf. *Sandius Bibl. Antitr.* p. 25. et *Bockius* T. II. p. 481 sq.

12) Vid. *Lubieniecius* p. 40., qui certe vix ullum alium Darium innuere potest.

13) Mentio eius fit et in actis synodi Curiensis a. 1571. mense Iunio habitae (Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 544.) et in epistolis Lael. Socini ineditis, quae Tiguri descriptae asservantur.

14) Vid. *Sandii Bibl. Antitr.* p. 26 sq. Cf. *Bockius* T. II. p. 427 sqq.

15) Vid. *Sandii B. A.* p. 27 sq. Cf. *Bockius* T. II. p. 443 sq. 454., praecipue p. 465 sqq.

MDXLVI. referant neque alium, quo res patefacta sit, commemorent, eundem innuisse videntur.

Circa istud autem tempus Antitrinitarios cum in Italia, tum inprimis in Veneto agro vexatos atque dispersos esse, ex aliis quoque argumentis elucet, quae simul totius de collegiis Vicentinis historiae veritatem confirmant. *Primum* enim cognitum exploratumque habemus, ab hoc inde tempore summa in haereticos acerbitate in Veneta ditione fuisse inquisitum. Namque cum inquisitorum multum interesset cavere, ut quodvis tam impiae haereseos semen a societate Vicentina sparsum exstirparetur, ~~in~~ omnes huius rei suspectos et libros et homines quam diligentissime investigare pergebant, simulque, inprimis Bergomates Brixianique, invigilabant, ne ullus haereticorum ex Veneta terra ad Helvetios Raetosque aufugeret [16]). Ipse vero senatus, quantumvis et postea Pontificis Romani eiusque satellitum primariorum et fidelissimorum, puta Iesuitarum, importunitati atque insolentiae fortiter reluctaretur [17]), Evangelicis contra, qui in ditione ipsius vivebant, ad recentissima usque tempora summopere faveret [18]), tamen, ne tam tetra et nefaria haeresis latius diffunderetur, quae, cum in clandestinis conventibus lege pu-

---

16) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 251.

17) Sic, ut hoc unum exemplum afferam, Veneti, cum Pontifex *Paulus V.* an. 1605. sacris eos interdiceret, tantum abfuit, ut ei obtemperarent, ut anno sequenti Iesuitas una cum Capucinis in exilium proficisci iuberent, ipsique Antistiti Romano inibi valedicerent.

18) Circa an. 1657. Evangelicis Venetiis versantibus ab ipso reipublicae senatu permissum est, ut sacra sua selebrarent eorumque ministrum sibi advocarent, quod beneficium ab hoc inde tempore ad nostram usque aetatem integrum servatum esse constat. Vid. *Ge. Theod. Strobels Neue Beyträge zur Litteratur, besonders des* 16. *Jahrh.* 4. B. 2. St. (Nürnberg 1793. 8.), ubi a pag. 3 — 40. tractatus legitur: *Von der Evangelischen Gemeine u. ihren Predigern in Venedig.*

blica vetitis nutrita esset, ipsi civitati detrimentum afferre videretur, quam maxime providendum esse existimabat [19]). Quare edictum illud, iam anno MDXXI. constitutum, cum in agro Brixiano in homines haereseos suspectos severae haberentur quaestiones, instantibus Pauli III., Pontificis, Legatis, XIII. Cal. Sextiles anni MDXLVIII. renovavit, quo cautum erat, ut, qui libros haberent, in quibus aliquid esset perscriptum contra fidem Catholicam, ad certos quosdam perferrent delegatos, idque intra octo dies, quibus elapsis inquisitum iri noxiosque punitum dicebatur, delatoribus vero silentium atque praemium promittebantur. Quae tamen res ne inquisitorum permitteretur arbitrio, senatus simul repetiit cautionem, ut cuivis iudicio interessent locorum praefecti et iurisconsulti, quam cautionem, quantumvis fremente Pontifice, semper postea servavit [20]).

Summa inprimis cura atque vigilantia illo tempore Legatus Pontificis, Ioannes della Casa, Archiepiscopus Beneventanus, in haereticos inquisivit. Is enim, ut pauca tantum exempla commemorem, anno MDXLIX. primum librorum prohibitorum indicem Venetiis edidit [21]); anno autem proxime antecedente tam Franciscum Spieram, Citadellae in agro Pa-

---

19) Nulla alia igitur de causa circa an. 1560. Evangelici quoque mulctati esse videntur, quam quod *inscio invitoque senatu* solemnes coetus adornare iisque ministrum praeficere ausi erant. Vid. *Gerdesius Italia reformata* p. 91. et *Strobel* l. c.

20) Vid. *Sleidanus de statu relig.*, Lib. XXI. init., *Laurent. Surius Commentarius brevis rerum in orbe gestarum ab anno salutis* 1500 *usq. in ann.* 1568., Coloniae 1568. 8. p. 566., et *Thuanus Histor. sui temporis*, L. V. ad ann. 1548. Cf. supra Cap. II. p. 15 sq.

21) Secundus librorum prohibitorum index prodiit Florentiae 1552., tertius Mediolani 1554., quartus Venetiis 1554., quintus, ab Officio Sanctae Romanae Inquisitionis iussu Pontificis Pauli IV. confectus, Romae 1557., idemque auctior ibidem 1559. Quos innumeri alii deinceps exceperunt.

tavino causidicum, Venetias vocatum minis eo perduxerat, ut receptam iam evangelii doctrinam abiuraret, quam Petrum Paulum Vergerium, ex synodo Tridentina in Venetorum terram reversum, maxime suspectum reddiderat haereseos. At vero hic, qui Patavii Spierae illi adstiterat decumbenti et ob denegatam fidem suam de misericordia divina desperanti, cum Italiam reliquisset, tum miserum huius viri exitum scripto exposuit [22]), tum in ipsum Casam summopere invectus est, quippe qui non solum primum huius librorum prohibitorum indicem, sicut quatuor sequentes eiusmodi argumenti catalogos vehementer perstringeret [23]), verum etiam nuntiaret, Casam in aliquo carmine, *Capitolo del Forno* inscripto, scelus omnium longe turpissimum, at per Italiam Graeciamque nimis notum, celebrasse laudibus [24]). Ab hoc autem tempore ad fratres Italos Vergerium frequentes dedisse epistolas in eorumque usum plura Evangelicorum scripta in Italicum sermonem transtulisse constat.

Sed quum illa haereticos persequendi occasio data esset, illos quoque, qui purae evangelii doctrinae adspirarent, impiae fidei reos habitos atque vexatos esse, prae ceteris epistolae testantur a *Balthasaro Alterio* [25]) scriptae. Is enim die XXIV. Martii an. MDXLIX. Venetiis ad *Bullingerum* [26]): *Quod si vobis pericula instare videntur, a nobis non longe absunt, qui in eadem*

---

22) *Francisci Spierae — historia a quatuor viris summa fide conscripta* etc. Tubingae 1550. 8., alia edit. ibidem 1558. 8. Cf. de Spiera *Sleidanus de statu religionis* etc. Lib. XXI. ad ann. 1548., ed. Am Endii P. III. p. 149 sqq., et *Saligs Hist. der A. C.* T. II. p. 1157 sq.

23) Vid. *Schelhorn Von dem allerersten Register der verbotenen Bücher, das in Welschland herausgekommen,* in s. *Ergötzlichkeiten* 2. B. p. 1 sqq., ipsum autem hunc indicem vid. ibidem p. 359 sqq.

24) Vid. *Salig* T. II. p. 1182 sqq. coll. p. 1170.

25) Cf. Cap. II. p. 23 sq. et 27.

26) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 32.

sumus navi. Nam persecutio apud nos quotidie fit insolentior: plurimi capiuntur, ex quibus aliqui ad triremes, aliqui ad perpetuos carceres damnantur; nonnulli proh dolor! ad palinodiam metu poenae adiguntur. Usque adeo imbecillus ac pene infans in omnibus est Christus. Multi etiam proscribuntur una cum uxoribus ac liberis; plerique sibi fuga prospiciunt. Ex iis Episcopus quidam cognomento Vergerius, vir sane pius ac doctus; qui si ad vos confugerit, suscipite illum et, qua praediti estis humanitate, fovete. Ita ut mihi quoque timeam, qui licet aliis saepe hac in re suppetias tulerim, verendum tamen est, ne eadem mihi conditio proponatur. Vult namque Deus fidem suorum his tentationibus explorari etc. Idem quum hanc duram atque iniquam, quam Evangelici tunc apud Venetos experiebantur, sortem vellet mitigari, paulo post ex Italia ad Helvetios contendit eosque solicitavit, ut fratribus in Italia periclitantibus adessent sibique ad reipublicae antistites literas procuratorias darent. At nihil aliud in Comitiis Curiensibus impetravit, quam literas commendatitias omnium nomine scriptas, quae hoc tantum effecerunt, ut de agro Veneto paulo tutior abire posset [27]). Curia ad *Bullingerum* d. XXVIII. Iul. MDXLIX. [28]) sic scribit: *Venetiis, dum hic essem, allatus est nuntius, acerbiorem indies fieri persecutionem in sanctos Dei. Itaque non sine discrimine illuc proficiscor; scis enim, quam invisus sum Papistis et impiis. Sed non temere committo me itineri. Deus vero servabit me ab omnibus his malis. Tu pro me rogabis illum.* Postclavio ad eundem d. III. Aug. eiusdem anni [29]): *De me vero nihil spei pollicetur ista nimis insolens persecutio Venetorum. Litterae illae commendatitiae nihil proderunt. — Commendo tibi hunc fratrem, qui deserto monachatu*

27) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 33 sqq.

28) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 96.

29) Vid. *de Porta* p. 97.

et missa ex Italia aufugit. Ad eundem in exilio d. XXV. Aug. [30]): *De adventu meo in Italiam haec habe. Bene valeo cum uxore et puerulo. Quoad caetera, litterae illae commendatitiae hoc tantum iuvarunt, ut exsilium mihi propositum sit ex toto Venetorum agro. Volebant n. illi, quod tutus essem apud eos, si ipsorum religionem, id est Romanam sequi vellem; aliter omnino mihi eorum finibus abeundum. Ego, qui Christi sum, malui exsul esse, quam Venetiis frui cum abominabili sua religione. Discessi ergo non sine vitae discrimine versus Ferrariam — inde Florentiam. — Caeterum ex D. Lelio cognosces, quid nunc pro me abs te agi cuperem.* Denique ex agro Brixiano ad eundem prid. Cal. Nov. [31]): *Scito, me in magnis molestiis et vitae periculis versari, nec locus mihi est ullus in Italia, ubi cum uxore et puero tutus esse possim. Augetur indies metus de meipso; impii namque unquam conquiescent, donec me vivum deglutiverint. Rogabis Deum —. Litteras mihi tradendas mitte Clavennam ad Franc. Nigrum.*

Deinde Antitrinitarios Vicentinos, saltem effectus, quos doctrina eorum habuerit, perniciosos respicere videtur cum Bulla Pauli IV., Pontificis, VII. Id. Aug. an. MDLV. publicata [32]), tum epistola saepius iam allata Busdragi, d. XV. Dec. an. MDLVIII. data. Sic enim Constitutio illa incipit: *Cum quorundam hominum pravitas atque iniquitas eo usque nostris temporibus processerit, ut ex iis, qui a Catholica fide aberrant et desciscunt, plurimi quidem non solum diversas haereses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare praesumant, et eorum exemplo multos in interitum animae deducant: Nos, cupientes pro nostro pastorali officio*

---

30) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 35.

31) Vid. *de Porta* p. 35.

32) Haec Bulla a Clemente VIII. d. 3. Febr. 1603. confirmata et renovata est. Cf. *Angeli Mariae Cherubini Bullarium Romanum*, Romae 1638. Fol. T. I. p. 590. et T. III. p. 104.

et caritate huiusmodi homines, quantum cum Deo possumus, a tam gravi et pestilenti errore avocare, ac ceteros, ne in talem impietatem labantur, paterna severitate admonere, omnes et singulos, qui hactenus asseruerunt, dogmatizarunt vel crediderunt, Deum omnipotentem non esse trinum in personis, et incomposita omnino indivisaque unitate substantiae, et unum unamet simplici divinitatis essentia, aut Dominum nostrum I. C. non esse verum Deum, eiusdem substantiae per omnia cum Patre et Sp. S. — — — ex parte omnipotentis Dei P. et F. et Sp. S., Apostolica auctoritate requirimus et monemus, quatenus intra spatium trium mensium a publicatione praesentium in Romana Curia, quoad residentes in ea, modo infra scripto, extra eam vero, quoad alios in illa non residentes, modo et forma per Dioecesanos statuendis, facienda incipiendorum, quos pro primo, secundo et tertio, ac peremtorio termino, ac monitione canonica eis et eorum cuilibet assignamus, ab eorum assertione, dogmatibus et credulitate huiusmodi, ac quibuscunque aliis in fide praedicta erroribus, in quos hactenus lapsi sunt, resipuisse, et ad unitatem Ecclesiae redeundo, assertionem, dogmata et credulitatem ac alios errores huiusmodi in manibus Inquisitorum haereticae pravitatis, civitatum et locorum, in quibus ad praesens degunt, realiter et cum effectu abiurasse, et intra alios tres menses a die abiurationis huiusmodi inchoandos de eadem abiuratione venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, dictae haereticae pravitatis Inquisitoribus generalibus, plenam fidem fecisse debeant etc. Busdragus vero, ad illud, opinor, tempus spectans, quo S. Officio Venetiis assederat, postquam narravit, multos in Italia modo vivis vocibus, modo sparsis libellis Lutheranismum serere: *Hoc quidem agunt*, inquit, *qui nondum ex Italia profugerunt. Atqui profugerunt, et sunt fere octingenti (dedi operam, ut possem novisse numerum), inter quos sunt nonnulli non indocti neque imprudentes viri. Hi demum sunt, qui multa destruunt, qui nos Inquisitores probe exercent; penetrant enim clanculum in mediam Ita-*

liam, modo ipsimet, modo sui emissarii, qui libros et sermones spargunt, et plus possunt una die inficere, quam nos integro anno sanare et mundare cum inquisitionibus et solicitudinibus nostris. Annon clare adparet, nos istorum sedulitate atque importunitate obrui atque vinci? Nam quotidie aliquid novi sentitur, nunc in hac civitate, nunc in illa, Calabria nuper fere tota tumultuata est.

Denique novimus, haud paucos tunc temporis ac paulo post ex Italia, nominatim ex Veneto agro in alias terras, maxime in Raetiam et Helvetiam aufugisse, non minus, quam qui antea iam huc advenerant, ipsius illius doctrinae suspectos, quam in collegiis Vicentinis pertractatam esse probare studuimus, ut: Gittichium, Scalichium, Vergerium, Paravicinum, Blandratam, Gribaldum, Titianum, Squarcialupum, Postellum, Minum Celsum aliosque [33]). Quorum virorum aliqui quum per plures adhuc annos post dissoluta collegia in Italia commorarentur suasque sententias furtim spargere pergerent: haud incommode colligere possumus, Serveti doctrinam et, quae inde enata erant, dogmata non statim in Italia potuisse exstingui. Cuius tamen rei exstant testimonia luculentiora. Ac primum quidem Vergerius, veram animi sententiam, ut videtur, dissimulans, d. VI. Sept. an. MDLIV. Tubinga ad Bullingerum sic scribit [34]): *Est apud me nunc Hieronymus Donzelinus, medicus, eiectus nuper Venetiis propter evangelium, vir prudens, qui multa novit, quae in Italia fiunt. Is affirmat, pestem serpere Servetanam plus nimio, et se fuisse saepe tentatum, inprimis a Gribaldo, ut ad eum opinione accederet.* Eodem *deinde* anno MDLIV. anonymus quidam in libro huius inscriptionis: *Contra libellum Calvini, in quo ostendere conatur, hae-*

33) Vid. supra Cap. III. p. 41 sq.

34) Vid. *de Porta* T. I. L. II. p. 159., qui ipse coniicit, Vergerium his in literis rectam fidem simulasse.

reticos iure gladii coërcendos esse [35]), p. 22 sq. diserte memorat, anno' MDLIII. Italum quendam, Serveti sectatorem, Genevam venisse et, quem animum ibi Serveto, eiusque asseclis maxime infensum cognovisset, graviter hac de re commotum fratribus Vicentinis per literas nuntiasse. *Quo tempore*, inquit, *erat ibi Servetus in vinculis, venit eo forte fortuna Italus quidam, Iureconsultus celebris, cui cum de Serveto narratum esset, dixit, se nunquam eius fuisse sententiae, ut aliquis pro opinionibus quamvis haereticis moreretur, et ad id rationes suas adduxit. Deinde de opinione Serveti, qui dixisset, Iesum Christum, etiam quod ad humanitatem attineret, esse verum naturalemque Dei filium, ex ipso Deo et virgine genitum, nonnulla disseruit, et eam sententiam sibi non admodum displicere dixit, quia se a puero ita semper sensisse. At fratres illi, protinus offensi, eum in Serveti opinione esse dixerunt, et si perseveraret, ut haereticum devitandum. Coepit ille, ut de re valde ardua suspensus, eos rogare, ut sibi conventum darent, ubi rationem suam palam posset exponere, aut saltem aures Calvini (cuius authoritatem ipse semper plurimi fecisset) sibi conciliarent, ut ab eo de re tanti momenti apertius posset institui. Sed nihil impetravit. Ita ea de re graviter commotus discessit et ad Vicentinos fratres ea de re literas scripsit.* Qui quidem verba satis perspicue, opinor, docent, Vicentiae et in vicinia plures adhuc tum vixisse fratres a Serveti placitis haud alienos, quos, si minus collegiorum Vicentinorum sodales, tamen istorum doctrinae latius in dies diffusae sectatores fuisse, vero haudquaquam est dissimile, praesertim si perpenderis, quantum, ut superius demonstrare conati sumus, in ipsa societate Serveti auctoritas valuerit. — *Denique* et id

35) Auctorem huius libri neque *Seb. Castellionem*, neque *Lael. Socinum* fuisse, iam in libello meo: *Vita Lael. Soc.* p. 75 sqq. ostendere studui. Cf. de hoc toto libro *Mosheim Anderweitiger Versuch einer Ketzergeschichte* p. 286 sqq.

afferre iuvat, quod Laelii Socini tum fratres et cognati, tum familiares et amici liberiora, quae iam pridem amplexi erant, ipsius decreta [36]) per plures annos in ipsa Italia tam scite dissimularunt et occultarunt, ut demum circa annum MDLIX. in haereseos suspicionem caderent, et qui ex illis irruentem effugere calamitatem non poterant, coniicerentur in vincula [37]).

---

36) Vid. *Przypcovius* hocce diserte affirmat: *Post obitum Alexandri,* inquit, *tres germani fratres Laelio supererant, e quibus Celsus Bononiae, Cornelius et Camillus una cum Fausto, fratris Alexandri filio, Senis agebant. Hos inter quoque suggerendae veritatis mirus artifex, Laelius, eius semina sparserat, eaque longis licet terrarum spatiis divisus, tam efficaci studio fovebat, ut nonnullorum uxores ignotus adhuc et absens in partes traxerit. Nec deerant ex aliis quoque familiaribus et amicis eiusdem instituti partim consortes partim conscii.*

37) *Przypcovio* teste ex Laelii fratribus *Cornelius* tantum captus est, ceteris perculsis aut fugatis. Sed quamquam me non fugit, *Celsum* Bononia in Germaniam et *Camillum* Senis in Raetiam aufugisse, tamen plures Laelii fratres carceri tunc inclusos fuisse, literae consolatoriae testantur, quas *Conradus Gefsnerus,* vir ille rerum naturalium peritissimus, Tiguri d. 6. Ianuarii 1561. *ad Laelii Socini fratres et cognatos in Italia captos propter verbum Domini et de morte periclitantes* dedit, quae quidem literae ita incipiunt: *Postquam intellexi a Nobili viro, fratre nostro in spiritu, vestro autem secundum carnem quoque, vos multo iam tempore in vinculis detineri propter nomen Domini, volui ad vos consolationis aliquid mittere* etc. Exhibuit nuper has literas *Ioannes Hanhart* in libro: *Conrad Gefsner. Ein Beytrag zur Geschichte des wissenschaftlichen Strebens u. der Glaubensverbesserung im 16ten Jahrhundert.* Winterthur 1824. 8. p. 349 sqq. Ad eosdem Laelii Socini fratres et cognatos pertinuisse mihi videtur et illa *Bullingeri* epistola, quae eodem loco, die et anno *ad fideles persequutionem sustinentes in Italia* scripta est. Legitur in *Io. Conr. Fueslini* sylloge: *Epistolae ab ecclesiae Helveticae Reformatoribus et ad eos scriptae.* Centuria prima. Tiguri 1742. 8. Ep. XCIV. p. 443 sqq. — Qui vero ex Laelii fratribus praeter *Cornelium* in custodiam tunc traditus sit, certo asserere non possum. *Celsum* illo tempore Italiae valedixisse, dubitari nequit; nam *Hubertus Languetus* in epist. Witem-

Caput VI.

Num quid ponderis habeant argumenta, quibus a viris doctis historia de collegiis Vicentinis impugnata est.

Ex iis, quae hactenus de collegiis Vicentinis exposuimus, facile nunc elucebit, quam parum argumenta valeant, quae contra huius historiae veritatem a viris doctis prolata sunt.

Plurima iam Cambenius [1]), adsentiente, ut videtur, Fueslino [2]), obloquitur. *Primum* enim offendit in eo, quod Sandius, de cuius fide ceterum non dubitat, in *Biblioth. Antitr.* praeter consuetudinem suam fontes non afferat, ex quibus narrationem illam hauserit. Nam ait: *Diese Erzehlung ist aus Sandii*

---

bergae d. 7. Dec. ann. 1559. ad *Ulricum Mordesium* data (Vid. eius *Epistolae secretae ad Principem suum Augustum, Saxoniae Ducem,* editae a *Io. Petr. Ludovico,* Halae 1699. 4. L. II. Ep. 8. p. 28.): *Celsus Socinus,* inquit, *filius Mariani, condixit suam operam scholae Ienensi, cuius rei absque dubio sunt authores Vergerius et Illyricus. Sed si eo veniat, ipsum procul dubio brevi poenitebit.* Strobel *Beyträge zur Litteratur, besonders des* 16. *Jahrh.* 1. B. 1. St. Nürnb. u. Altdorf 1784. 8. p. 122. temere coniicit, pro: *Celso* legendum esse: *Laelius,* quamvis dubitet, num hic scholae Ienensi suam operam condixerit. Si igitur non de *Philippo* cogitaris, qui ex Laelii decem fratribus praeter commemoratos tunc in vivis adhuc fuit (cf. *Panzirolus de claris legum interpretibus* ed. Hoffmannianae p. 271.), coniiciendum tibi erit, una cum *Cornelio* et *Camillum* comprehensum esse. Utrumque tamen e vinculis postea liberatum esse, inde apparet, quod *Cornelium* Sociniani non in martyrum suorum numero habent, *Camillum* vero novimus an. 1571. in Raetia vixisse, huius enim in Actis Synodi Curiensis, eiusdem anni mense Iunio habitae, mentio fit ut haeretici. Vid. *de* Porta T. I. L. II. p. 539. 543 sq.

1) In *Fueslins Beyträgen* etc. T. III. p. 327 sqq. Vid. supra Prooem. p. 4. Not. 8.

2) Vid. Prooem. p. 4. Not. 9.

Bibliotheca Antitrinitariorum p. 18. *genohmen. Ich muſs aber bekennen, daſs, obwolen an Sandii Glaubwürdigkeit nichts auszusetzen ist, ich dennoch allezeit an dieser Geschichte gezweiffelt habe. Dann neben dem, daſs derselbige wider seine Gewohnheit nicht meldet, woher er dieses genommen, finden sich einige Umstände, die nicht wol mit einandern übereinkommen.* Atqui Cambenius iam in eo errat, quod censet, praeter Sandium nullum scriptorem alium istam rem narrare, quam tamen a Wissowatio etiam atque Lubieniecio relatam esse vidimus [3]). Quod autem Sandius testes non commemorat, inde nondum sequitur, rem ipsam fictam esse; namque in multis aliis quoque sui libelli locis non indicat, unde rerum, quas exponit, notitiam habeat, et hoc loco talis omissio tanto minus vitio est ei vertend~~um~~[a], quanto brevius ille et Wissowatius rem attingunt, inter Socinianos haud dubie satis cognitam. Lubieniecius contra uberius eam tractans testes, quos consuluerit, nominat. Praeterea miror, quod nec Cambenius nec Fueslinus locum apud Sandium in *Appendice ad nucleum* suum *historiae eccles.* p. 90. obvium, qui in Nota tamen [4]) eo citatur consilio, ut ipsius narrationis veritas magis infringatur, quoniam Sandius res quasdam hic aliter enarret, quam in Bibliotheca sua, accuratius inspexerit; nam clare inde patet, Sandium historiam nostram iisdem Wissowatii verbis repetere, cuius libellum in proxime antecedentibus paginis totum exscripserat, quae vero his adiungit, in *Bibliotheca Antitrinitariorum* allatis minime repugnare. Quibus autem e fontibus non solum Sandius, sed etiam Wis-

---

3) *Fueslin Kirchen- u. Ketzerhistorie der mittlern Zeit,* T. II. p. 236. Not. 54. citat praeter Sandium etiam *Lubieniecium.*

4) *Sandius hatte dieses schon ein mahl erzehlt in dem Appendice ad Nucl. Histor. Eccles. p.* 90. *Allwo er selbst zweiffelte, ob Bernhard Ochin in dieser Gesellschaft gewesen wär. Anbey hat er noch einige Umstände anderst erzehlt.*

sowatius et Lubieniecius ipsam narrationem repetierint, iam supra indicavimus [5]).

Cambenius *deinde* obiicit, cum narratione illa ne tempus quidem congruere; nam anno MDXLVI., quo collegia Vicentina inchoata et soluta esse dicantur, neque Bernardinum Ochinum, neque Laelium Socinum iis potuisse interesse; illum enim isto anno in Venetorum ditione non fuisse versatum, neque ceterum constare, novis eum illis scitis, quae Laelius Socinus excogitaverit, unquam adhaesisse, hunc autem non fugitivum ex Venetorum terra, sed Senis Tigurum appulisse. *Fürnehmlich*, inquit, *stimmet die Zeit nicht überein. Diese Zusammenkünfften sollen A.* 1546 *gehalten worden seyn, da Ochinus zu Neapolis stuhnd, und sich durch seine grofse Beredsamkeit und Eifer wider die im Schwang gehende Laster in seinen Predigten berühmt machte. Er ward defswegen nach Rom citirt; als er aber auf der Reise zu Florentz Peter Martyr, seinen bekannten Freund, antraf, wurden sie eins, Italien zu verlassen und sich nach der Schweitz zu begeben. Da nun Ochinus eine Zeit lang zu Genv, hernach zu Augspurg, und Martyr zu Zürich zugebracht, beyde aber A.* 1547 *auf des Ertzbischoffs von Canterbyri, Thomas Cranmers, Begehren, in Engelland reiseten, so kan der erste nicht wol in dem Jahre* 1546 *solchen Zusammenkünfften in dem Venetianischen beygewohnet haben. Zu geschweigen, dafs wahrscheinlich ist, Ochinus sey keiner dieser neuen Lehren zugethan gewesen, die Socin ausgebrutet hat. Man sagt zwar, er habe sich, nachdem er aus der Schweitz vertrieben worden, den Arianern zugesellet. Die Sache ist aber nicht klar an dem Tage. — Ein gleiches Bewandtnifs hat es mit Lälius Socin, derselbige kam A.* 1547 *nicht als ein Venetianischer Flüchtling, sondern aus seiner Vaterstadt Siena nach Zürich.* Eadem fere etiam Fueslinus profert; nam T. V. s. *Beyträge zur Erläuterung der Kirchen-Reformations-Geschichten des Schweitzerlandes* p. 416. dicit: *Ochin hatte sich geraden Wegs von Rom über Venedig und*

5) Cap. I. p. 6 sq.

Ferara nach Genf begeben. Solchemnach ist falsch, was so viele Geschichtschreiber berichten, er wär einer Gesellschaft von vierzig und mehreren Antitrinitariern, welche im Jahre 1546 *im Venetianischen heimliche Zusammenkünften gehalten, einverleibt gewesen;* et T. II. s. *Kirchen- und Ketzerhistorie der mittlern Zeit*, p. 136. Not. 54: *Der letzte* (Sandius) *zählet Bernh. Ochinum und Lael. Socinum wider alle Wahrscheinlichkeit zu ihrer Secte. Der erste hat im J.* 1542 *oder* 1543 *Italien verlassen, mithin kan er nicht erst drey oder vier Jahre hernach in einer solchen italiänischen Bande entdecket worden seyn. Man hat auch einen Brief von ihm an den Rath zu Siena, darinnen er selbigem die Ursache seiner Flucht und Gesinnung in Glaubenssachen angezeiget, welcher im J.* 1544 *aus der italiänischen in die französische Sprache übersetzet worden ist. S. meine Beyträge Th. V. S.* 416. *Lälius Socinus hat sich im J.* 1547 *aufser Italien weg begeben. Er war dazumal* 22 *Jahre alt. Weder sein Alter, noch andere Umstände lassen uns vermuthen, dafs er aus einer berüchtigten und durch obrigkeitliche Gewalt aus einander getriebenen Gesellschaft gewesen sey. Er kam in gedachtem Jahr nach Zürch und wurde von den dasigen Gottesgelehrten wohl aufgenommen, welches sonder Zweifel nicht geschehen, wann er als ein Antitrinitarier bekannt gewesen wäre.* Sed nec haec argumentatio historiam nostram ambiguam atque ancipitem reddit. Etenim ut ne repetam, non modo *Sandium*, sed etiam *Wissowatium* et *Lubieniecium* tum *Ochini* tum *Laelii Socini* consultationum Vicentinarum participis mentionem facere, certum quidem est, Ochinum (qui, ut obiter moneam, an. MDXXXIV., non, ut Cambenius p. 332. affert, an. MDXLIII., in ordinem Capucinorum receptus est) iam anno MDXLII. (non, quod Cambenius censet, MDXLVI.) una cum Petro Martyre Vermilio Italia excessisse: attamen quum collegia illa pluribus iam annis ante tempus illud, ad quod principium eorum refertur, instructa esse videantur, nil obstare iam vidimus, quo minus opinemur, ipsarum deliberationum eum fuisse participem ac post discessum suum ex Italia in sodalium per literas perman-

sisse consuetudine, praesertim cum Antitrinitariorum placitis tinctum eum fuisse vix negari possit [6]). In literis autem illis ad senatum urbis patriae datis, ad quas Fueslinus praecipue provocat, huius rei mentionem facere non potuit, nisi vellet socios in haereseos suspicionem vitaeque discrimen vocare. Quod vero ad Laelium Socinum spectat, hunc anno demum MDXLVII. in Helvetiam venisse, diffiteri nolumus; inde tamen nullo pacto sequitur, anno eum antecedenti Vicentinae societati non fuisse adscriptum, quum, dissipata illa, per aliquod adhuc tempus in Italia latere posset. Siena Laelium hoc ipso anno Tigurum appulisse, non minus temere affirmatur [7]), quam auctorem eum doctrinae in collegiis Venetis constitutae perhiberi [8]). Ceterum non inquirendae tantum veritatis studio iuvenili [9]), verum periculi etiam imminentis metu permotum eum esse, ut patriae suae valediceret, tam Lubieniecius et Przypcovius, quam literae Nicolai Majeri [10]) diserte testantur. Quod autem Tigurenses theologi comiter Laelium exceperint, mirum ei esse non poterit, qui non ignorat, quam caute atque circumspecte ille in Helvetia et Germania sese gesserit, ne in suspicionem vocaretur, quasi Antitrinitariorum doctrinam probaret.

Denique Cambenius historiae nostrae etiam propterea fidem denegat, quod in nullo scriptore nominatos eos reperiamus, qui ex collegiorum Vicentinorum sodalibus carnificis manu

---

6) Vid. Cap. III. p. 39. et Cap. IV. p. 45 sqq.
7) Vid. Cap. V. p. 71. Not. 10.
8) Vid. Cap. II. p. 37. Cap. IV. p. 64 sqq., praecipue Not. 44., et infra p. 88 sq.
9) Iuvenilem, quam Laelius tunc agebat, aetatem impedimento fuisse, quo minus Vicentinae societati sese adiungeret, *Fueslinus* putasse videtur; sed quam falsum tale iudicium sit, infra videbimus.
10) Vid. Cap. V. p. 70. Not. 8.

interemti sint, siquidem quaevis secta suos martyres celebrare soleat. Verba eius sunt haec: *Letztlich kan ich dieser Geschichte um so viel weniger Glauben beymessen, weil man in keinen Geschicht-Büchern etwas von denen aufgezeichnet findet, welche aus dieser Gesellschaft durch des Henckers Hand sollten getödet worden seyn, da doch alle Secten beflissen gewesen sind, ihre Martyrer aufzuzeichnen und dieselbigen der Welt anzupreisen.* At vero non Wissowatium tantum et Lubieniecium, verum etiam ex Wissowatii narratione ipsum Sandium *in Appendice ad nucl. hist. eccl.* talium martyrum nomina indicare, iam supra ostendimus [11]).

Profligatis igitur, ut equidem arbitror, argumentis, quibus Cambenius totam de collegiis Vicentinis historiam dubiam atque ambiguam, quin imo fictam esse probare conatus est, nihil restat, quam ut et ea paucis examinemus, quibus Moshemius [12]) non tam omnem narrationem, quam nonnullas tantum eius partes impugnat, qua quidem via demonstrare vult, in collegiis illis eam religionis speciem, quae Socini dicatur, minime conflatam esse. *In re ipsa*, inquit, *nihil, meo quidem iudicio, est, quod aegre credi queat. Consultatum esse a multis post instauratam in Germania religionem in variis provinciis Romanae sedi subiectis de expellenda superstitione, multis documentis constat. Et in Venetorum terris id etiam ab eruditis quibusdam hominibus factum esse, tanto est probabilius, quanto notius est, insignem apud Venetos numerum hominum si minus Luthero, consilio tamen eius religionem emendandi et ad nativam simplicitatem suam revocandi bene cupientium ea aetate vixisse. Facile etiam hoc receperis, disturbatos fuisse hos conventus satellitum Romanorum vigilantia, consultantium quosdam captos et capitis damnatos fuisse, reliquos fuga sibi salutem quaesivisse.* Quae Moshemius hic non minus vere

11) Cap. V. p. 68. et Not. 3.

12) *Institutionum hist. eccl. libri IV.* p. 712 sq. Not. f. Cf. supra Prooemium p. 3 sq.

quam eleganter paucis adumbravit, ea pluribus supra iam ita illustrasse et probasse mihi videor, ut nihil sit, cur repetam. Sed pergit ille: *Valde vero dubium est, imo incredibile, his deliberationibus interfuisse omnes illos, qui earum participes fuisse dicuntur. Equidem in eam sententiam venio, multos eorum, qui postea Christianorum dogmate de uno et trino Deo oppugnando celebritatem consequuti sunt, temere ab ignaris rerum intra membra Venetae illius societatis relatos esse, quoniam eam universae sectae Unitariae matrem et nutricem extitisse putarunt.* Haec quidem sententia per se spectata valde probabilis est; sed si cogitaveris, nomina sodalium illorum iam in *Budzinii Commentariis* et *in vitae Laelii Socini curriculo* aliisque in libris, ex quibus potissimum historia nostra hausta est, reperiri, simulque perpenderis, sociis illis vel viros adnumerari, qui partim, ut Leonardus, Abbas Busalis, nomine et fama non tantopere inclaruere, partim, ut Ochinus, inter strenuos dogmatis de Deo trinuno oppugnatores referri nequeunt, alios contra, qui, ut Camillus Siculus, Socinianorum formulae simillimam professi sunt doctrinam, horum in numerum non admitti, non facile eo perduci te patieris, ut Moshemio adsentias. Ipsam vero Venetam societatem *universae sectae Unitariae matrem et nutricem extitisse*, ex iis, quae supra disputavimus [13]), probe colligi posse puto. Moshemius nunc argumentum adiungit, quo Cambenius iam usus erat. *Hoc quidem scio*, inquit, *eximendum esse ex ea* (societate) *Ochinum. Ut enim non satis apertum esse omittam, iurene an iniuria Socinianis hic annumeretur, constat ex Zach. Boverii Annalibus Capucinorum et aliis testimoniis certissimis, iam A.* 1543. (1542.) *eum Italia excessisse et Genevam migrasse. Vid. La Guerre Seraphique ou l'Histoire des perils, qu'a courus la barbe des Capucins Livr. III.* p. 191. 216 sq. Sed Ochinus quo tempore Venetam societatem illam adire ac quo modo eius membris vel post discessum suum ex Italia iun-

13) Cap. IV. praecipue p. 64 sqq.

ctus esse potuerit, cum iam indicatum sit, hoc unum adiiciam, non quidem inter *Socinianos*, sed modo inter *Antitrinitarios* eum relatum esse. Neque enim contenderim, universam eum, quae in conventiculis Venetis constituta esse traditur, doctrinam fecisse suam, aut *Unitariorum* postea Polonorum decreta omnia probasse. De Laelio autem Socino quae Moshemius profert, haec sunt ita comparata, ut multo minus nobis arridere queant. *De ipso Laelio Socino*, ait, *qui caput collegii, de quo agimus, fuisse traditur, idem, quod de Ochino, confidenter dixerim. Ecquis enim sibi persuadeat, iuvenem unum supra viginti annos natum, talis enim tum Laelius erat, natali solo relicto, ad Venetos aut Vicentiam sese contulisse, ut de rebus ad religionem pertinentibus libere cum aliis disputare posset, tantaque valuisse adolescentem istum auctoritate, ut inter tot viros ingenio et doctrina praestantes principem locum obtineret? Praeterea ex ipsa Laelii vita aliisque testimoniis demonstrare licet, proficiendi verique apud exteros investigandi amorem, non capitis praesens periculum discessum ei ex Italia suasisse. Certe rediit Laelius in patriam deinde, et A.* 1551. *Senis ad tempus quoddam vixit, patre eius Bononiae commorante. Vid. epist. eius ad Bullingerum in Museo Helvet.* T. V. p. 489 sq. *Quod iter quis hominem suscepisse credat, qui ante paucos annos aegre Inquisitorum manus et poenam capitalem effugerat?* Sed cur *iuvenis ille unum supra viginti annos natus*, quem novimus libris sacris legendis plurimos ecclesiae Pontificiae errores iam animadvertisse summoque religionis Christianae altius inspiciendae arsisse desiderio, *natali solo relicto ad Venetos aut Vicentiam sese non contulerit, ut de rebus ad religionem pertinentibus libere cum aliis disputare posset*, equidem non intelligo. In ipsis autem conventibus principem locum ac praesidium talem iuvenem obtinuisse, etiam mihi difficile creditu est, quanquam Bockius [14]) secus hac de re iudicat, monens, *Socinum nobiliori loco natum, et ex celeberrima familia*

14) *Hist. Antitr.* T. II. p. 412.

ortum fuisse, ac praeterea tantum valuisse Laelium ingenio atque mentis acumine, quantum reliqui experientia. At enim uterque vir doctus frustra elaboravit, ille in oppugnanda, hic in defendenda re, quam nullus historiae nostrae scriptor errarrat. Provocat quidem Bockius [15]) ad Sandii *Bibliothecam Antitrinitariorum* p. 18.; sed nihil aliud ibi legitur, nisi hoc, Laelium cum sociis collegia et colloquia de religione instituisse, unde tamen nondum sequitur, Laelium fuisse eorum auctorem atque praesidem. Quae sententia eo minus arridet, quo magis a vero videtur abhorrere, in conventibus illis ullum e sociis praesidium gessisse [16]). Ceterum non veri tantum apud exteros investigandi amorem, sed praesens etiam capitis periculum discessum ei ex patria suasisse, iam probavimus. Revisisse quidem Laelium patriam suam an. MDLII. (non MDLI.) certo scimus; at magna pericula ei tum imminuisse, Petr. Paul. Vergerius testatur [17]).

Denique Moshemius debellandis illis theologis omnem operam navat, qui ex colloquiis Vicentinis Socinianae disciplinae primordia repetunt. *Sed fac*, inquit, *cetera omnia recte sese habere, quae Sociniani nobis de sociis et rationibus collegii huius narrant, quod inter Venetos ad Servatorem nostrum maiestate divina privandum institutum fuisse dicitur: hoc tamen nullo illis modo dabimus, Socinianam disciplinam in eo inventam et compositam esse. Recentior haec sine controversia est, et multorum ingeniis diu limata et polita fuit, priusquam stabilem et concinnam formam reciperet. Hoc si quis sibi demonstrari velit, is dogmata et rationes tantum quorundam ex illis videat, qui in collegio, quod*

15) *Hist. Antitr.* T. II. p. 580.

16) Vid. Cap. II. p. 35 sqq.

17) in literis Vicosuprani d. 20. Iun. ann. 1552. ad *Pellicanum* datis: *Laelius noster mecum commoratus est per tres septimanas, postea ad patrem profectus est, sed per magna pericula, quod sat scio. Deus eum eripiat!* Vid. *de Porta* T. I. p. II. p. 86., *Bockius* T. II. p. 618. et libellus meus: *Vita Lael. Soc.* p. 35.

saepe diximus, fuisse memorantur: quae quidem mirifice inter se dissentiunt. Laelius Socinus, quod multa declarant, quae de rebus eius passim memoriae prodita sunt, nondum certam religionis formam animo complexus erat, quum Italia excederet, et multos post id tempus annos quaerendo, dubitando, indagando, disputando consumebat. Et crediderim fere, hominem deliberantem adhuc, quid de variis rebus constituere vellet, vivis exemtum fuisse. Gribaldus et Alciatus, quorum paullo ante meminimus, ad Arianorum sententias propenderunt, nec tam exiliter, ut Sociniani, de Servatore nostro senserunt. Haec exempla testatissimum faciunt, nihil certi Italos illos disputatores, si, quod hic sumo, non pro certo pono, extiterunt, decrevisse, citiusque disiectos et in exilium proficisci coactos esse, quam de summis religionis rebus una mente consentirent. Ad quam disputationem quid respondendum sit, ex iis, quae supra de Venetae societatis institutione, ratione et doctrina attulimus, facile apparebit. Id quidem largior, nihil certi in conventibus illis de religione esse definitum; nam constat, neque viros, qui in iis fuisse memorantur, de singulis religionis capitibus una mente consensisse, neque ipsum Laelium Socinum, quo tempore Italiae valedixit, certam religionis doctrinam animo sibi informasse, sed pluribus potius post annis de ea dubium haesisse. Quamobrem recte iudicat Moshemius, Socinianorum disciplinam eiusque, quam postea nacta est, stabilem et concinnam formam in collegiis Vicentinis minime esse compositam. Verum enim vero si contemplatus fueris magnam illam, quam ostendere studuimus, Socinianorum doctrinae cum dogmatibus ibi tractatis similitudinem, simulque ponderaveris, ipsum Laelium Socinum scripta reliquisse, quae eam doctrinae iam formam continent, quam Faustus Socinus recepit ampliusque excoluit: quin Socinianismi primordia atque semina ex colloquiis Vicentinis iure meritoque deriventur, dubitare vix possumus.

SYMBOLARUM
AD VITAM ET DOCTRINAM
LAELII SOCINI
ILLUSTRANDAM

PARTICULA II.

COMMENTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

QUA

AD AUDIENDAM ORATIONEM

PROFESSIONIS THEOLOGICAE ORDINARIAE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

ADEUNDAE CAUSA

D. XVIII. MARTII A. MDCCCXXVI. H. X.

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO RECITANDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

CHRISTIANUS FRIDERICUS ILLGEN

THEOLOGIAE DOCTOR.

LIPSIAE

TYPIS F. CH. W. VOGELII.

Symbolarum ad vitam et doctrinam Laelii Socini illustrandam

Particula II.

Quo tempore Laelius Socinus Vitebergae vixerit.

Laelium Socinum per aliquod tempus Vitebergae vixisse, constat; sed, quando eo venerit et quousque ibi fuerit commoratus, viri docti usque hodie ambigunt. Ioach. Camerarius [1]), Miniſtri Sarmatiae et Transylvaniae, auctores operis: *De falsa et vera unius Dei, Patris, Filii et Spiritus Sancti cognitione* [2]), teste Sandio [3]), Petrus Melius, Reformatae ecclesiae Deobreocheoniensis (s. Debrecynae) in Transylvania antistes [4]), Theod.

1) *De Phil. Melanchthonis ortu, totius vitae curriculo et morte — — narratio diligens et accurata*, Lipsiae 1566. 8. p. 340., novissimae editionis a *Ge. Theod. Strobelio* adornatae, quae sub titulo: *De vita Ph. Mel. narratio*, Halae 1777. 8. prodiit, p. 323 sq.

2) Albae Iuliae 1567. 4. L. I. Cap. 3.: *qui* (Laelius) *diu versatus fuerat Vitebergae.* (Cf. de hoc libro Symbolarum mearum Partic. I. Cap. 1. p. 5.)

3) *Bibl. Antitr.* p. 19.

4) In Actis disputationis Albanae secundae a. 1568. habitae, quae sub titulo: *Disputatio in causa sacrosanctae et semper benedictae Trinitatis* etc. a *Casp. Helto* Claudiopoli 1568. 4. edita sunt. Cf. *Saligs Hist. der*

Beza[5]) et Sam. Przypcovius[6]), qui hac in causa pro fontibus habendi sunt, multique deinceps alii in universum modo narrant, Laelium Vitebergae fuisse, temporis nullam iniicientes mentionem. Alii censent, Laelium per triennium Vitebergae haesisse. Quod quidem ipsum neque Hoornbeekius[7]), neque Io. Henr. Hottingerus[8]), neque Saligius[9]) accuratius definivit, sed Arnoldus[10]) et Io. Iac. Hottingerus[11]) ab an. MDL—MDLII.,

---

Augsp. Confess. 2. Th. p. 855 sqq. et *Bockii Hist. Antitr.* T. I. P. I. p. 59 sq. In his Actis *Melius* affirmat, se Vitebergae Laelium cognovisse hominem indoctum omnisque iudicii expertem.

5) in *vita Calvini*, praefixa huius *epistolis et responsis* a *Beza* Genevae 1575. 8. primum promulgatis, ad ann. 1549. (in *Bezae tractationum theologicarum* Vol. III. Genev. 1582. fol. p. 395.): *quum* (Laelius) *ecclesias peragrans ac doctissimum quemque ac in iis inprimis Philippum, Calvinum, Ioach. denique Camerarium (a quo in Philippi vita perhonorifico testimonio contra, quam meretur, ornatus est) fefellisset.*

6) *in vita Fausti Socini* (a. 1636. 4. vulgata huiusque postea operibus praemissa, quae *Biblioth. fratrum Polon.* T. I. continentur): *Quas dotes in eo* (Laelio) *cum alii e summis viris plurimi agnoscunt, tum praecipue Phil. Melanchthon laudat in commendatitiis suis, quibus abeuntem* (Viteberga) *prosecutus est, literis.*

7) *Io. Hoornbeek Summa controversiarum religionis cum infidelibus, haereticis, schismaticis*, Traiecti ad Rhen. 1653. 8., ed. 2. ibidem 1658. p. 564.

8) *Hist. eccl. N. T.* T. IX. Tiguri 1667. 8. p. 475.

9) *Chrisian Aug. Saligs Historie der Augspurg. Confession*, 2. Th. Halle 1733. 4. p. 698 sq. Not. u.

10) *Gottfried Arnolds* Unpartheyische Kirchen- und Ketzerhistorie, Frankf. am Mayn 1699. fol. T. II. L. 16. Cap. 33. §. 13., edit. 1729. p. 878.

11) *Helvetischer Kirchen-Geschichten* 3. *Theil durch Joh. Jakob Hottinger*, Zürich 1708. 4. p. 790.

Hartmannus[12]) autem et Schröckhius[13]) ab an. MDXLVIII — MDL. constituerunt. Iam vero istos theologos in errore fuisse, inde patet, quod Laelium certo novimus an. MDLI. Viteberga in Poloniam contendisse. Quare alii ab an. MDXLVIII. usque ad medium fere an. MDLI. illos tres annos numerant, ut Lauterbachius[14]) et Bockius[15]), quam quidem rationem unice veram ~~esse,~~ ante aliquot annos ipse duxi[16]), ~~ne~~ eandemque nuperrime Orellius[17]) quoque secutus est. — Alii contra existimasse videntur, Laelium non triennium, sed annum modo MDL. Vitebergae transegisse, certe Cyprianus[18]) et Rambachius[19]) afferunt,

---

12) *Geschichte und Lehrbegriff der Socinianer*, in *Joh. Dietrich Hartmanns Beiträgen zur christl. Kirchen- u. Religionsgeschichte*, 1. Bändchen, Jena 1796. 8. p. 166., ubi in hoc etiam errore auctor fuit, ut contenderet, Laelium ipso *Luthero* familiariter usum fuisse, cum tamen inter omnes constet, Lutherum iam a. 1546., quo Laelius Italia nondum excesserat, obiisse.

13) *Christliche Kirchengeschichte seit der Reformation von Joh. Matthias Schröckh*, 5. Th. Leipz. 1806. 8. p. 524.

14) *Samuel Friedrich Lauterbach Ariano-Socinismus olim in Polonia. Der ehemalige Polnische Arianische Socinismus*, Frankf. u. Leipz. 1725. 8. p. 46 sq.

15) *Frid. Sam. Bock Hist. Antitrinitariorum, maxime Socinianismi et Socinianorum, T. II.* Regiom. et Lips. 1784. 8. p. 586.

16) *Vita Lael. Soc.* p. 29. et Not. 26.

17) *Laelius Socinus* von *Joh. Kaspar von Orelli.* Vid. *Wissenschaftl. Zeitschrift herausgegeben von Lehrern der Baseler Hochschule*, 2. Jahrg. Basel 1824. 8. p. 39.

18) *Ern. Sal. Cyprian Compendii hist. ecclesiasticae Gothani* Lib. III. (quem adiunxit) Gothae 1723. 8. p. 222.

19) *Joh. Jacob Rambachs Hist. u. theol. Einleitung in die Religions-*

hoc ipso anno civibus illum academicis Vitebergensibus adscriptum et sequenti in Poloniam ingressum esse. De triennio et Bengelius [20]) dubitat, per biennium modo Laelium Vitebergae mansisse statuens; sed Strobelius [21]) et Veesenmeyerus [22]) ne unum quidem integrum annum ibi eum traduxisse putant.

Maximas huic rei difficultates id affert, quod Melanchthon Laelii Vitebergae commorantis et consuetudinis, quae sibi cum eo fuerit, ita mentionem facit, ut sibi ipse videatur repugnare. Etenim an. MDL. d. XVIII. Iul. *Baumgartnero* nuntiat, se hoc ipso die accepisse literas, quas Laelio dederit, exceptum eum esse a se comiter et deductum ad Forsterum, ubi habiturus esset habitationem, mensam et Hebraeae linguae doctorem. *Camerario* autem iam an. MDXLIX. die XXV. Iulii scripserat, Laelium saepe cum ipso

---

Streitigkeiten der Evangelisch - Lutherischen Kirche mit den Socinianern, 1. Th. Coburg u. Leipz. 1745. 4. p. 94.

20) *Archiv für die Theologie und ihre neuste Literatur, herausgegeben von D. Ernst Gottlieb Bengel*, 1. B. 3. St. (Tübingen 1816. 8.) p. 725-727.

21) *Ge. Theod. Strobel* in *Joh. Barthol. Riederers Nützlichen u. angenehmen Abhandlungen aus der Kirchen - Bücher - u. Gelerten - Geschichte*, 4. St. Altdorf 1769. 8. p. 437., ubi coniicit, Laelium initio an. 1551. Vitebergam venisse et paucos tantummodo menses ibi fuisse. Sed miror, quod idem vir doctus in editione sua libelli: *Camerarii de vita Phil. Mel.* p. 323. Not. c. affirmat, cum Melanchtone amplius triennio Laelium Vitebergae vixisse. Aliter iudicat in opere suo: *Beyträge zur Litteratur, besonders des 16. Jahrh.* 1. B. 1. St. Nürnb. u. Altdorf 1784. p. 119 sq., ubi statuit, Laelium a mense Iulio an. 1550. usque ad Iunium an. 1551. Vitebergae versatum esse.

22) *Veesenmeyer Ueber des Sozinus Aufenthalt in Wittenberg.* Vid. *Kirchenhistorisches Archiv von Stäudlin, Tzschirner u. Vater für* 1824. 3. H. Halle 1824. 8. p. 79 sqq.

esse, sed convictorem esse Forsteri. Utraque epistola simul docet, Laelium *Forsteri* hospitem esse. Sed idem Melanchthon in literis ad *Stathmionem* datis, quo die et anno, non indicatur, memorat, se ipsum habere Laelium hospitem. Praeterea in testimonio, quo Laelium Viteberga discedentem an. MDLI. die xx. Iunii ornaverat, affert, sibi cum illo familiarem consuetudinem aliquot mensium fuisse; in tribus autem epistolis, an. MDLVII. die 1. Decembris in favorem Laelii scriptis, affirmat, secum amplius triennio eum vixisse.

Vides igitur, rem illam tam difficilem et intricatam esse, ut nescias, quo pacto te expedias, et si nodum dissecare nolis, de solvendo eo paene desperes. Nihilo tamen minus tantae difficultates me non absterruerunt ab hac re diligentius exploranda, et spero sane, fore ut, adiutus praesidiis quibusdam hactenus incognitis, si non omnes, tamen nonnullas removeam difficultates ipsamque rem in clariore ponam luce.

Id certum nunc compertumque habemus, Laelium non triennium, sed ne unum quidem integrum annum Vitebergae transegisse; nam medio mense Iulio an. MDL. hanc in urbem venit eique vergente mense Iunio anni sequentis valedixit. Ipsum autem iter, quod Melanchthonis inprimis visendi gratia [23]) Tiguro Vitebergam fecit, satis properavit. Etenim medio Iunio an. MDL. Tigurum nondum reliquerat; id quod ex literis Oswaldi Myconii, Basileensis theologi celeberrimi, apparet, in Laelii gratiam ad *Melanchthonem* scriptis, in quibus se a Laelio ex Tiguro roga-

---

23) Vid. *Camerarius de vita Ph. Mel. narratio* ed. Strobelii, p. 323: *Ex Italia adveniens Laelius, Mariani Socini, celeberrimi Iurisconsulti filius, se et patriam et florentem opibus et dignitate domum, et spem amplissimae fortunae solius Philippi Melanchthonis videndi gratia reliquisse, prae se ferebat.*

tum esse ait, ut literis ipsum Melanchthoni commendaret[24]). Ipse autem Laelius eiusdem anni die VI. Iulii Norimberga ad *Bullingerum* scribit, se apud Ulmenses et Norimbergenses nullam ecclesiae faciem deprehendisse, Lipsiam nunc profecturum esse, quam primum comites nactus fuerit, quibus tuto se adiungere possit, cum audiat, iter infestissimum latronibus esse Lipsiam usque, Vitebergae vero hiemem transacturum[25]). Hac ipsa autem in urbe iam d. XIX. eiusdem mensis Iulii praesens fuit; hoc enim die Melanchthon ab eo accepit literas, quas *Hieronymus Baumgartnerus*, civitatis Norimbergensis Senatorum Senior, Laelio dederat[26]). Namque Melanchthon an. MDL. die natali filiae suae Magdalenae[27]) rescripsit: *Hodie accepi tuas literas, quas Laelio, Socini*

---

24) Vid. infra p. 17. No. I.

25) Vide ibidem No. II.

26) Praeter memoratas *Myconii* et *Baumgartneri* literas commendatitias Laelium aliorum quoque virorum doctorum epistolas Vitebergam secum tulisse, ut Tiguro *Henr. Bullingeri* et *Conr. Pellicani*, et Lipsia *Ioach. Camerarii*, profecto facile inducor, ut credam.

27) Magdalenam illam non d. 19., sed d. 18. Iulii (a. 1631.) natam fuisse, patere quidem videtur ex literis, quas Mel. a. 1554. ad *Michaelem Meienburgium*, seniorem Consulem Northusanum, Mersburgo misit, nam subscripsit ille: *die 18. Iulii, qui est natalis meae filiae Magdalenae, quam Deus regat.* (Vid. *Liber V. et ultimus epistolarum Phil. Mel., accurante Sauberto*, Norib. 1646. 8. p. 689. Cf. *Ge. Theod. Strobel Melanchthoniana* oder *Sammlung einiger Nachrichten zur Erleuterung der Geschichte Phil. Melanchthons*, Altdorf 1771. 8. 37.) Sed numerum 18. mutandum ibi esse cum numero 19., inde colligere licet, quod Mel. suo exemplari libelli: *Calendarium historicum conscriptum a Paulo Ebero*, Witeb. 1550. 8. ad d. 19. Iulii sua manu adscripsit: *natalis Magdalenae filiae.* Id testatur *Strobel*, qui illud exemplar inspexit. Vid. *Neue Beiträge zur Litteratur, besonders des 16. Jahrh.* 1. B. 1. St. Nürnb. und Altdorf 1790. 8. p. 159. Cf. *Bengel* l. c. p. 725., ubi tamen pro *Peucer* legendum est *Eber.*

filio, dedisti[28]). Exceptus est Laelius a Melanchthone, ut ex eadem episola elucet, satis benevole eodemque die XIX. Iulii deductus ad Ioannem Forsterum[29]), Theologiae et linguae Hebraicae Professorem, qui recepit eum in domum suam eique convictum praebuit.

Quae cum ita sint, quomodo Melanchthon iam an. MDXLIX. die Iacobi (d. XXV. Iulii) *Ioachimo Camerario*, Lipsiensi tum Professori, nuntiare potuerit[30]), Laelii consuetudine saepe se uti, sed convictorem eum esse *Forsteri*, non intelligitur, quum illo anno Laelius Vitebergam nondum advenisset. Recte igitur Veesenmeyerus[31]) iudicat, hanc epistolam ad an. MDL. pertinere, nec quidquam in ea occurrere, quod huic anno repugnet; ipsum vero Camerarium in collectione epistolarum Melanchthonis ad se scriptarum, quam ipse adornaverit, eo facilius in errorem hic potuisse induci, quo probabilius sit, illo tempore, quo epistolam illam acceperit, annum, a Melanchthone ut in aliis suis epistolis, sic in hac haud notatum, adscribere ei oblitum fuisse. Bengelius[32]) contra dubitat, num epistola, cuius mentionem fecimus, ad *Baumgartnerum* data recte ad an. MDL. relata sit; nam quod illam ad Camerarium epistolam spectet, tanta hunc diligentia omnes ad se missas Melanchthonis epistolas collegisse ac per singulos annos diesque disposuisse censet, ut errorem hic latere non facile aliquis possit suspicari. Verum enim vero neutram harum epistolarum

---

28) Vid. infra p. 18. No. III.

29) Vide *Strobel Nachricht von D. Joh. Forster*, in s. *vermischten Beiträgen zur Geschichte der Literatur*, Nürnberg 1775. 8. p. 129-160.

30) Vid. infra p. 19. No. IV.

31) l. c. p. 83 sq. Idem censuisse videtur *Strobel Beiträge zur Literatur, besonders des 16. Jahrh.* 1. B. 1. St. p. 159 sq.

32) l. c. p. 727.

in annum MDXLIX. quadrare, quam evidentissime inde apparet, quod Laelium anno demum sequenti Vitebergam intrasse novimus. Qua de re si ulla amplius dubitatio in mente tua inhaereat, statim haec evanescet, cum illas epistolas inspexeris, quas Laelius eiusque amicus, Ioannes Macfinsky, Polonus, mense Augusto eiusdem anni MDL. Viteberga ad Helvetios miserunt. Namque Laelius ad *Bullingerum* duas scripsit epistolas, quarum in priori d. xx. Augusti data[33]), suas ad eundem Norimberga emissas literas respiciens, ei non solum nuntiat, se miraculosa ratione Lipsiam et inde Vitebergam perductum esse, verum nonnulla etiam refert, quae statum ecclesiae Lutheranae, controversias inter eiusdem theologos agitatas, nominatim Interimisticam, Melanchthonem, omnium theologorum ducem et astrologiae deditum et alia spectant, in posteriori vero, d. xxviii. Augusti exarata[34]), affert, se nihil habere, quod in priori dictis addat detrahatve, cum, si quid reliqui sit, ipsum ex Magistro, qui priorem Tigurum secum tulerit, certius iam cognovisse, vix dubitari nequeat. Macfinsky[35]) autem *Pellicano*, quem Tiguri olim convenerat, d. xxiv. Augusti primum scribit, se literas, quas Laelio dederit, accepisse, deinde mirum in modum hunc laudat, praesertim eius in dicenda sententia libertatem, vixque verbis exprimere potest, quantopere omnes, qui Vitebergae sint, talis viri amicitiam ambiant et Melanchthon omnia sua cum eo communicet, denique nuntiat, eum decrevisse, Vitebergae hibernare.

Sed quamvis Laelius iam circa medium mensem Iulium an. MDL. Vitebergam venerat, tamen die demum xxvi. mensis Septembris, Rectore Io. Forstero.[36]), albo civium academicorum

33) Vid. infra p. 19 sq. No. V.

34) Vid. infra p. 21. No. VII.

35) Vid. eius epist. infra p. 20. No. VI.

36) Forsterum academiam Vitebergensem a Cal. Maii usque ad festum S.

nomen suum inscripsit, et hoc quidem modo: *Laelius Sozinus, Senensis Italus*, quibus verbis aliena manu haec adiecta leguntur: *Mariani Sozini, Iconsulti* p̄*stantissimi, filius*[37]). Quum autem ingenio non minus et eruditione, quam veritatis studio[38]) ac morum integritate et suavitate excelleret, eius consuetudine Melanchthon tantopere adlectus est et delinitus, ut fratris loco eum haberet, et non solum, ut ex Macfinskii literis colligere licet, omnia mentis cogitata et sensa libere ei aperiret, de fide eius minime dubitans[39]), verum etiam, quo facilius eo uti posset atque

---

Lucae, Evangelistae, ann. 1550. moderatum esse, iam videre licet ex *Scriptorum publice propositorum a Professoribus in Academia Witebergensi, ab an.* 1540. *usque ad an.* 1553. T. I. Witeb. 1553. 8. ibidem 1560. p. 304 sqq. In eodem libro p. 321. edictum legitur d. 25. Sept. promulgatum, quo *Forsterus* omnes scholasticorum, qui nondum dederint nomina Rectori, monet ut accedant, et si sint nobiles, exemplo suo alios ad legum amorem invitent nec aliorum licentiam confirment. Cui igitur legi ut obtemperaret, Laelius, qui in ipsius Forsteri domo habitabat, postridie nomen suum dedit.

37) Sic Laelii nomen albo studiosorum Vitebergensium inscriptum inveniri, Summe Venerandus *Heubnerus*, Seminarii theologorum, quod Vitebergae floret, Professor meritissimus, nuntiandum mihi curavit. Falso igitur in *Gottfridi Suevi* (Schwabe) *Academia Wittebergensis ab anno fundationis MDII. usque ad an. MDCLV.*, Witteb. (1655) 4. plagul. M. ad an. 1550. inter Inscriptos Laelius sic refertur: *Laelius Sozinus, Senensis Italus, Mariani Socini, ICti, filius, haereseos Neo-Photinianae autor.* Verba ultima: *haereseos — autor* a Suevo addita esse, nemo non videt.

38) Vid. *Camerarius* l. c. p. 323 sq.: *Animadvertebatur, hunc* (Laelium) *ardere studio cognoscendi iis de rebus, quae tunc disceptabantur, certi firmique aliquid.*

39) Quantum valuerit apud *Melanchthonem* Laelii auctoritas, iam literae testantur, quas ille eo, ut videtur, tempore, quo hic Vitebergae commorabatur, ad *Caelium Secundum Curionem* misit. Cf. infra p. 21 sq. No. IX.

familiarius, tres illos et quod excurrit menses, qui abitum eius in Poloniam proxime antecedebant, habitationem cum eo atque mensam communicaret. Colligo id cum ex iis, quae Melanchthon ad *Christoph. Stathmionem*, artis medicinae Doctorem, priori, ut videtur, anni MDLI. semestri scripsit[40]: *Hospitem habeo Laelium, filium Socini*[41]), tum ex testimonio sane honorifico, quo Melanchthon d. xx. Iunii an. MDLI. Laelium Viteberga discedentem prosecutus est[42]), ubi haec leguntur verba: *ego ipse familiari consuetudine aliquot mensium comperi, hunc Laelium Socinum virum eruditum, iustum, prudentem, pacis publicae amatorem, omni officio diligentem et integrum esse.* Non quidem negaverim, haec verba per se spectata aliter posse explicari. Sic Strobelius[43]) ad priores ea menses anni MDLI. refert, per quos Melanchthon cum Laelio familiariter vixerit, indeque falso concludit, huius demum anni initio Laelium Vitebergam venisse. Bengelio[44]) contra hic verborum sensus arridet, quo Melanchthon nihil aliud dicere voluerit, nisi hoc, aliquot mensium familiari consuetudine, quae sibi cum Laelio fuerit, iam satis superque se comperisse, virum doctum eum esse vitaeque integrum. Atqui de tribus hic illis mensibus cogitandum esse, qui mensem Iunium anni MDLI. praecedebant, infra videbimus. Ipsum autem illud testimonium quam luculentissime docet, Laelium mense adhuc Iunio aut paucis diebus post Vitebergae valedixisse. Id quod

---

40) Vid. infra p. 22. No. X.

41) Ex his verbis idem collegerunt *Siegm. Jac. Baumgarten Geschichte der Religionspartheyen*, Halle 1766. 4. p. 920., *Bockius* T. II. p. 591., *Schröckh* l. c. p. 524. et *Veesenmeyer* l. c. p. 83.

42) Vid. infra p. 22 sq. No. XI.

43) Vid. *Riederer* l. c. p. 437. cf. supra p. 6. Not. 21.

44) l. c. p. 726. Not.

aliis quoque testimoniis confirmatur. Etenim Erhardus a Kunheim[45]) an. MDLI. Viteberga *Bullingero* nuntiat, Laelium hinc profectum esse ad perlustrandam Poloniam indeque constituisse redire in patriam[46]). Ex ipsa vero, ut videtur, Polonia[47]) Laelius ad *Caelium Secundum Curionem*, eloquentiae et historiarum in academia Basileensi Professorem, an. MDLI. literas misit, in quibus sui ad Helvetios reditus spem facit. Diserte id memorat Curio in literis ad *Abrahamum Sbaski*, Polonum Equitem, quo Laelius Basileae familiariter usus fuerat, Calend. Decembr. an. MDLI. datis[48]). Sed paulo post Laelium in Helvetiam advenisse, Melanchthonis literae testantur, die brumae eiusdem anni MDLI. ad *Camerarium* exaratae[49]); mentionem enim facit epistolae ad se a Laelio ex Tiguro missae.

Ex hisce omnibus, quae hactenus commemoravimus, quam evidentissime, opinor, elucet, Laelium ne per unius quidem integri anni spatium Vitebergae substitisse. Cui tamen rei adversari videtur, quod Melanchthon in literis, in Laelii gratiam an.

---

45) *In Libro V. epistolarum Phil. Mel. a Sauberto* edito, p. 475 sq. extant nonnullae Mel. epistolae ad hunc virum scriptae. Sed nescio, an Erhardus iste Vitebergae tum versatus sit. *Suevus* contra l. c. inter eos, qui ann. 1550. Forstero Rectore in numerum civium academiae Vitebergensis recepti sint, *Georgium a Kunheim, Nobilem Prutenum*, refert. Fortassis idem est, qui literas commemoratas ad Bullingerum scripsit.

46) Vid. infra p. 23. No. XII.

47) Anno 1551. Laelium in Polonia fuisse, *Wissowatius* ad calcem *Sandii Bibl. Antitr.* p. 210., *Lubieniecius Hist. reform. Polonicae* p. 40. et *Przypcovius* l. c. diserte affirmant.

48) Vid. infra p. 24. No. XIII. Videtur quidem Laelius ex Polonia recta redire in Italiam constituisse, sed cum comperisset, Sena, patria urbe, a Gallis capta, ingens in Italia renovari bellum, consilium suum mutavit.

49) Vid. infra p. 24. No. XIV.

MDLVII. d. 1. Decembris ad *Maximilianum*, Regem Romanorum, ad *Sigismundum Augustum*, Regem Poloniae, et ad *Io. Sebast. Pfauserum*, qui evangelium Viennae in ipsa Maximiliani aula docebat[50]), scriptis, diserte memorat, secum amplius triennio Laelium vixisse[51]). Atqui falsum id esse, cum iam a nobis probatum sit, quaeritur nunc, quomodo haec difficultas optime possit solvi. Melanchthonem non meminisse, quamdiu Laelius Vitebergae vixerit[52]), aut, quo efficacius eum commendaret, longius istud temporis spatium commentum esse, quis, qui familiarem illam consuetudinem consideraverit, quam cum Laelio Vitebergae habuerat, vel animum eius perpenderit pium, sincerum ab omnique fraude alienum, tale quid contendere audebit? Neque ita res potest expediri, ut sumamus, Melanchthonem triennium ab eo inde tempore numerasse, ex quo Laelium ipse cognitum haberet; nam ut omittam, formulam: *familiariter cum aliquo vivere*, non facile significare: *aliquem nosse*, sex iam effluxerant anni, ex quo Laelius Vitebergae substiterat. Multo minus eo confugiendum est, ut coniicias, post annum MDLI. Laelium iterum Vitebergam contendisse ibique per duos et quod excurrit degisse annos, ut hac ratione triennium illud conficiatur[53]). At enim Laelium certo sci-

---

50) Cf. inprimis *Ge. Theod. Strobel Leben Joh. Sebastian Pfausers, Evangelischen Hofpredigers König Maximilians, nachherigen Römischen Kaisers*, in s. *Beiträgen zur Litteratur, besonders des* 16. *Jahrh.* 1. B. 2. St. Nürnb. u. Altdorf 1785. 8. p. 255 sqq.

51) Vid. infra p. 24 sqq. No. XV. XVI. et XVII.

52) Huius sententiae videtur *Bengelius* fuisse, l. c. p. 726. dicens: *Melanchthons Behauptung* —: „*mecum amplius triennio vixit*" *ist nicht genau zu nehmen, sondern etwa daraus zu erklären, daſs diese Briefe erst volle* 6 *Jahre nach Lälius Abreise von Wittenberg geschrieben sind.*

53) Id *Bockius* T. II. p. 592. putasse videtur, afferens: *cum Wittebergam* (Laelius) *prima vice accesserit.*

mus ab anno inde MDLI, extremo ad annum usque MDLVII. in Helvetia commoratum esse, excepto itinere, quod an. MDLII. in Italiam fecit[54]), ex qua tamen anno sequenti in Helvetiam rediit[55]). Anno autem MDLVII., in patriam profecturus patrimonii nanciscendi causa, mense Novembri Wormatiam appulit ibique Melanchthonem convenit, cui reddidit literas Io. Wolphii, Tigurensis theologi[56]). Ille vero, qui, colloquio inter Lutheranos, et Pontificios theologos frustra habito, adhuc in hac urbe residebat, d. I. Decembris Laelio dedit tres illas epistolas commendatitias, ut a Maximiliano et Sigismundo Augusto impetraret literas tutelares, quo securius in Italia cum amicis de patrimonio agere posset. Ceterum per paucos tantum dies Laelius tum apud Melanchthonem versatus est; nam iam d. VIII. Decembris Tubinga ad *Bullingerum* scripsit[57]).

Nulla igitur alia ratione nodum illum solvi posse arbitror, quam ut sumamus, ipsum Melanchthonem in tribus illis epistolis dedisse: *amplius trimestri*, sed eum, qui illas descripserit vel promulgaverit, legisse: *amplius triennio*. Quem in errorem Lugdunensis editor epistolarum Melanchthonis antehac non editarum, qui tres commemoratas primum produxit, eo facilius induci potuit, quo verosimilius est, non ipsis autographis, sed apographis tantum eum usum fuisse; multa autem epistolarum Melanchthonis apographa circumlata esse non fida, sed plus minusve corrupta, constat[58]). Quae si mea coniectura vero haudquaquam est absimilis, ipsa verba: *amplius trimestri*, ad menses illos sunt referenda, per quos Laelius Vitebergae ipsius Melanchthonis hospes

54) Vid. *Bockius* T. II. p. 618. et libellus meus: *Vita Lael. Soc.* p. 35.

55) Id patet ex literis ineditis, quae Tiguri descriptae asservantur.

56) Vid. infra p. 27. No. XVIII.

57) Vid. infra p. 27. No. XIX.

58) Vid. *Strobel Melanchthoniana* p. 88 sq.

fuit quorumque in perhonorifico, ad quod saepius iam provocavimus, testimonio iniicitur mentio[59]). — Sed ne quid negligam, quod nostrae rei lucis forte nonnihil afferre possit, id quoque adiicere mihi liceat. Melanchthon eo tempore, quo Laelius Vitebergae versabatur, aliquamdiu Lipsiae fuit; hac enim ex urbe d. XXIV. Aprilis anni MDLI. emissae sunt eius literae nomine theologorum in utraque academia Lipsiensi et Wittenbergica ad Argentoratenses theologos scriptae[60]), quae spectabant deliberationes de fidei confessione ecclesiarum Evangelicarum synodo Tridentinae exhibenda. Ipse Melanchthon eo tum consilio Lipsiam venisse videtur, ut de hac re cum theologis ibi viventibus consultaret aut eorum fortassis iudicio scriptum suum submitteret, quod d. X. Iulii sub titulo: *Confessio doctrinae Saxonicarum ecclesiarum scripta anno Domini MDLI.*, *ut synodo Tridentinae exhiberetur*, in conventu theologorum Vitebergensi probatum est. Quodsi certis nunc firmisque testimoniis posset probari, Melanchthonem plures tum menses Lipsiae substitisse, trimestre, quod innuimus, ad illud tempus revocaremus, quo Laelius familiariter cum Melanchthone Vitebergae praesente viveret, neque esset, cur existimaremus, non ea solum, quae Melanchthon Stathmioni scribit: *Hospitem habeo Laelium*, *filium Socini*, sed etiam quae idem in testimonio citato affirmat: *ego ipse familiari consuetudine aliquot mensium comperi* etc. ad habitationem mensamque spectare cum Laelio a Melanchthone communicatam.

Sed quo melius de iis, quae hucusque de Laelio Socino Vitebergae commorante protuli, viri docti possint iudicare, ipsa nunc documenta et testimonia, quibus usus sum, eo ordine adiungam, quo sese excipiunt.

---

59) Vid. supra p. 12.

60) Vid. *Phil. Mel. epistolarum liber antehac nunquam editus*, Lugduni Bat. 1647. 8. p. 367 sqq.

I. Ex literis Oswaldi Myconii ad Melanchthonem, Basilea 14. Iunii, 1550 [61]).

Precatus est hic *Laelius*, Italus, ex Tiguro me per Petrum quendam librarium, pariter Italum, ut se literis quamvis brevibus tibi commendare non detrectem. Equidem mox promisi; aequo igitur animo tu, quae sum dicturus, perlegito. Filius est viri in Italia doctissimi et auctoritatis magnae; favet evangelio Christi, ut qui maxime, et eam ob causam exsulat, ita tamen, ut non sine patris permissu. Cepit impetum visendi te, nec id solum, sed etiam commorandi ad mensem unum atque alterum apud te, si ita tibi commodum. Quaeso itaque, ut, quod is tantopere cupit, haud velis denegare, modo non sit molestum. Fuit satis iamdiu et Tiguri et Basileae, ut mores eius sint nobis non leviter perspecti. Novit multa, ut etiam hac ratione possit esse iucundus. Inprimis narrabit de profectu evangelii apud Italos, tantum essent, qui sibi adessent. Traducunt libellos ex lingua Latina in Italicam et scribunt proprios.

II. [62]) *Doctrina pietateque clarissimo Viro, D. Henrico Bullingero, plurimum observando, Tiguri.*

Quales Ulmenses, quales Norimbergenses antea fuerint, nescio; hoc unum scio et doleo, apud ipsos nullam ecclesiae faciem, nec illam quidem, quam apud vos esse gaudeo, gratiasque Deo agens pro tanto beneficio simul oro, ut incrementa in dies maiora concedat, donec in virum perfectum adolescamus, quod futurum aliquando idque brevi confido. Ceterum hic multa, licet non apud multos, experior eaque non civilia et humana tantum, sed Christiana et divinissima officia, quibus devinctum me habebunt in perpetuum, ita ut de ipsis utcunque paucissimis alia non sim praedicaturus unquam, quam quae de iis conveniant, qui pectore toto, non lingua solum Iesum amplexi sunt, illum dico crucifixum, cuius et membra, ut se divina gratia agnoscunt esse, ita eius exemplum generatim propositum imitari et coram tyrannis atque aliis quibusvis sanguinem profundendo suum veritati constans ferre testimonium haudquaquam reformidaturi sunt unquam. Sic de suis vi-

61) Ex *Simleriana* literarum ad historiam ecclesiasticam pertinentium collectione, quae Tiguri asservatur.

62) Ex Simleriana collectione.

ribus desperati in solo Domino spem suam omnem fixam habent, sic ab eo pendent toti, sic denique de ipsius erga se benevolentia aeternoque favore nihil addubitant. Utinam in quam plurimis, quando in omnibus frustra desideratur, illa ardentior quoque multo divinae gloriae illustrandae flagrantia! Hinc autem ego solvam, quam primum comites nactus fuero, quibus tuto me adiungere possim; audio enim iter infestissimum latronibus esse Lipsiam usque. At non mihi desunt ex utraque natione hic optimi amici ac de mea salute qui sunt soliciti, illorum itaque consilium sequar. Quod vero de me sequetur, si vixero, perscribam ex Viteberga, ubi hanc hiemem transigam, si non citius excludet nos pariter omnes Conventus Augustanus. Supremi Numinis semper voluntas fiat in me ac reliquis cunctis! Amen.

Salutato in Domino meum *Pellicanum*, *Bibliandrum*, *Gualtherum*, generos utrosque et cum *Iosia Simlero*, si adhuc est reversus, ceteros amicos ad unum omnes, nominatim, si quidem omnes pariter in Christo amo amplectorque, quotquot ab ipso amari et in suum sinum recipi cognosco aut spero. Si quid acceperitis, quod ad me pertineat, quicquid illud fuerit, per Sangallenses in nundinis saltem istis Francfordianis ut mittatis expecto, et tantum beneficii mihi ut praestetis rogo, vicissim omnem meam operam vobis locatam esse significans, et quid aliud? Adspiret omnipotens Dominus sanctis conatibus, pessundet consilia improborum! Amen. Norimbergae, 6. Iulii, 1550.

Tui observantissimus
Laelius Socinus.

III. [63]) *Ex literis Melanchthonis ad Hieronymum Baumgartnerum.*

Hodie accepi tuas literas, quas *Laelio*, *Socini filio*, dedisti. Exceptus est a nobis comiter et deductus ad *Forsterum*, ubi habebit habitationem, mensam et Ebraeae linguae doctorem. Id enim studium praecipue nunc appetit. Nec deerunt ei hospitalia officia, quae nos quidem in hac Ascra, quae, ut Hesiodus de sua dicit, et aestate et hyeme parum commoda est, praestare poterimus. — — Die natali filiae meae Magdalenae (d. 19. Iulii [64])) 1550.

---

63) Vid. *Ph. Mel. Epistolarum liber*, Lugduni Bat. 1647. 8. p. 169 sq.
64) Vid. supra p. 8. Not. 27.

IV. [65]) *Ex literis Melanchthonis ad Ioach. Camerarium.*

— — *Socini* filius saepe nobiscum est, sed convictor est *Forsteri*, et optarim, eum in Elvetiis esse, ἄλλος γὰρ πρὸς ἄλλην πόλιν τεταγμένος. Et fortassis aliquanto post nova exilia et ipsi et nobis suscipienda erunt. — — Die Iacobi (d. 25. Iulii, 1550., non 1549.[66])).

V. [67]) *Ad Henricum Bullingerum.*

Ex Norimberga primum ad te scripsi literasque D. *Vadiano* commendavi; dein ex aliis, quanam ratione quamquam miraculosa Lipsiam, inde huc perductus sim, te accepisse confido. Iam vero ut novi aliquid afferam, novi plane nihil esse significo. Lutherani ritus hic servantur adhuc omnes utcunque, paucis quibusdam exceptis: quid Papanis exigendum supersit, non video. Omnes ab uno *Melanchthone*, qui astrologiae iudiciariae fuit addictus, et unus ille ab astris ne magis an ab astrorum conditore ac domino pendeat, ignoro. Magdeburgenses adhuc persistunt immoti. Inter praecipuos doctores Illyricum habent et Nicolaum quendam Gallum nomine, Germanum tamen natione, qui duo continenter urgent hos et Lipsienses, rationem ut reddant interim cuiusdam recens conflati ac editi ab ipsis; at ipsi huic petitioni dissimulatione ac silentio satisfacere destinarunt, quam recte norunt, qui recto sunt corde. Dux Brunsvicensis iam obsidet sui nominis urbem; illa vero tacens expectat auxilium a Domino, qui suos ac saepe revocat ab orco. Polonica comitia hunc finem habuerunt, ut evangelium e finibus pellatur, infulati saeviant in pios et a *Francisco Stancaro* feliciter initium sumant, qui iam vinctus detinetur, quia Cracoviae, dum explicat Psalmos, ausus est aliquid liberius adversus Lyranum efferre insuperque ad *Philippum* huc scribere, ut orent Deum, qui a tam tetra Babylonia ipsum liberet ac aliquem certum quietis portum in hac sua ultima senecta assignet. Libellum, quem D. *Bibliandro* in hac temporis angustia literarum loco mitto, tu vides. Si quid melius exstaret, misissem perquam libenter. Itaque boni consulite meque ut

65) Vid. *Liber continens continua serie epistolas Phil. Mel. scriptas annis XXXVIII. ad Ioach. Camerar. Pabep., nunc primum pio studio et accurata consideratione huius editus, curante eum exprimendum Ernesto Voegelino.* Lips. 1569. 8. p. 619 sq.

66) Vid. supra. p. 9.

67) Ex Simleriana collectione.

filium amare constanter pergite, si quidem vos tanquam patres observare ac venerari non desino. Et quid amplius? Quas ad D. *a Lasco* dedisti literas, remitterem, si ex Anglia ipse brevi huc se reversurum non scripsisses. Expectabo igitur occasionem conveniendi hominem propius. Tu autem optime vale, vir de ecclesia Dei optime merite, meque, ut dixi, redamare ne cessa. Viteberga, 20. Augusti, 1550.

Tui observantissimus
Laelius Socinus.

VI. [68]) *Ex literis Ioannis Macfinsky (Poloni) ad Pellicanum, Viteberga, d. 24. Augusti,* 1550.

Reddidit mihi D. *Laelius Socinus* literas tuas, perbreves quidem illas, sed sermone suo reddidit revera prolixissimas, et reddit quotidiano colloquio amoris tui et omnium vestrum erga me plenissimas, gaudeoque vehementer, me de tua et omnium vestrum erga me voluntate tam amanter esse commonefactum, praesertim per tam iucundum, suavem et disertum commonefactorem, qui recordatione veteris meae apud vos conversationis me mirum in modum afficit, qui vestrarum hic laudum et honorum praeconem et decantatorem apud omnes agit voculissimum et audacissimum, hoc est, liberrimum, quia liberrime de omnibus rebus cum huius scholae doctoribus colloquitur, confert et disputat, liberrime etiam vestram et suam sententiam profitetur. Delector itaque hominis consuetudine oppidô quam suaviter, integritatem vero et in dicenda sententia libertatem una cum eruditione et castimonia vitae coniunctam in homine veneror. Et vicissim ille, ut vir est optimus et humanissimus, meam amicitiam magni facere videtur. Tamque constanter amicitiae foedera servat, ut mihi non temere, sed fato in *Laelii* nomen videatur incidisse. Non enim a me modo, cui ego cum propter singulares eius dotes, tum propter eam, quae illi vobiscum intercedit, coniunctionem omnia mea quodam iure meo et vestro debeo, sed ab omnibus hic amatur et magni fit. Plurimos hic invenit Iureconsultos, qui aliquando in Italia patris eius fuerunt auditores. Et in summa, nemo Vitebergae est, qui *Laelii* amicitiam non ambiat, nemo, qui non libenter cum homine conversetur; inprimis autem *Philippus* omnia sua cum illo communicat. Statuit etiam videre Poloniam,

68) Ex Simleriana collectione.

et utinam ego aliquo modo per rationes meas facere possem, ut illum itineris comitem habere et per Poloniam circumductare valeam! Sed ipse decrevit Vitebergae hibernare; mihi vero ad proximum diem festum Michaëlis in patriam redeundum est, quam primum scilicet res meae a te mihi redditae fuerint.

VII. [69]) *Doctissimo optimoque Viro, D. Henrico Bullingero, plurimum observando, Tiguri.*

Has tibi mitto, ut clare intelligas, nunquam ad lupum conclamari, quin sit aliquid in vicinia. Ex eisdem harum ecclesiarum statum praesentem brevique futurum facile poteris animo comprehendere. Hic sit finis, neque literis superiore hebdomade scriptis est quod addam detrahamve, illas vero accepisse vos, quî dubitarem, cum lator fuerit quidam Magister noster Tigurinus, ex quo, reliqui si quid erat, cognovisti certius sive de aliis sive de ipso me, quem tuum tuique studiosissimum esse foreque in perpetuum, miror, si dubium, si scrupulum adhuc ullum habes. Idem et tuis suade collegis, ut persuadeant sibi declarentque mihi, me tanquam re sua utendo; hoc tantum peto, hoc tantum rogo, a vobis impetrari sinite impetratumque ostendite, et valete in Domino felicissime. Vitebergae, d. 28. Augusti, 1550.

Laelius Socinus.

VIII. [70]) *Ex Albo studiosorum Vitebergensium*, Vol. I., *ad an.* 1550. *d.* 26. *Sept. Rectore Io. Forstero.*

Laelius Sozinus, Senensis Italus, (Mariani Socini, Iconsulti ℞stantissimi, filius).

IX. [71]) *Ex literis Melanchthonis ad Caelium Secundum Curionem, Calendis Maii (a.* 1551*).*

— te etiam, priusquam sciebam, ubi viveres, dilexi. Postea magis amavi, cum audirem *Laelium* non solum eruditionem et eloquentiam tuam praedi-

---

69) Ex Simleriana collectione.

70) Vid. supra p. 11.

71) Vid. *Olympiae Fulviae Moratae opera, quibus Caelii Sec. Curionis selectae epistolae ac orationes accesserunt*, Basileae 1570. 8. p. 330. Curionis responsum vid. p. 331 sqq.

cantem, sed etiam pietatem et animi fideique constantiam in perferendis aerumnis, quas propter verae sententiae confessionem sustines. Talis viri benevolentiam cum faciam plurimi, ad te hanc epistolam misi, qua utrumque tibi significare volui, et te a me vere diligi ac fieri plurimi, et me tuae amicitiae cupidissimum esse.

X. [72]) *Ex literis Melanchthonis ad Christoph. Stathmionem, (a. 1551.).*

S. D. Scis, olim ante sacrificia voce praeconis exclusos esse profanos: ἐκὰς, ἐκὰς ἔστε βέβηλοι. Ita profecto indocti, feri et legum ac disciplinae contemptores arcendi sunt, ne omnes eruditorum disputationes audiant. Scripsi antea ad te, doctos et graves viros posse de quibusdam materiis colloqui, qui, quas si audirent feri homines, tantum inde sumerent occasionem laxandi frenos disciplinae. Sed hospitem habeo *Laelium*, filium Sozini, Iureconsulti Bononiensis, gravem et doctum virum, et amantem doctrinae verae de Deo, is legere tuum scriptum cupit. Et spero, hac eum lectione non abusurum esse. Ideo te oro, ut nobis per nuntium Andream mittas tuum librum. Ego bona fide remittam, et cavebo, ne veniat in populi manus.

XI. [73]) *Testimonium Laelii Socini, Itali.*

Omnibus lecturis has literas S. P. D.

Et decus magnum est et virtutum indicatio, natum esse ex parentibus, quorum est eximia virtus. Natus est autem hic vir nobilitate generis et virtute praestans, *Laelius Socinus*, patre Mariano Socino, viro clarissimo, qui ad generis nobilitatem addidit cum ceteras virtutes, tum vero Iuris Romani cognitionem, cuius praecipuus est interpres, et nunc in illa matre doctrinarum, in urbe Bononia, nobilibus et ingeniosis hominibus ex tota Europa ibi confluentibus et convenientibus Iuris doctrinam cum summa laude eruditionis, fidei et prudentiae tradit. Tali patre cum hic *Laelius* natus sit, et ab ho-

---

72) Vid. *Alter libellus epistolarum Phil. Mel.*, Witeb. 1574. 8. p. 416 sq.

73) Hoc testimonium, quod etiam in Simleriana collectione descriptum reperitur, iam *Przypcovius* l. c. commemorat his verbis: *Quas dotes in eo* (Laelio) *cum alii e summis viris plurimi agnoscunt, tum praecipue Philippus Melanchthon laudat in commendatitiis suis, quibus abeuntem prosecutus est, literis.* Sed primum publicavit *Strobelius* in *Riederers Abhandlungen aus der Kirchen- Bücher- u. Gelerten-Geschichte*, 4. St. p. 435 *sq.*

nestissimis parentibus semina virtutum accepit, et domestica disciplina ad optimos mores adsuefactus est, et postea eruditione confirmavit iudicium et suo consilio actiones omnes ad iustitiae normam dirigit. Quanquam autem Italia haud dubie est domicilium sapientiae, tamen, ut aliarum gentium homines doctos et honestos audiret, Galliam, Germaniam et Britanniam abiit, ac ad me ab honestissimis viris ex multis locis honorifica de ipsius integritate testimonia perscripta sunt, quibus etsi fides tribuenda est, tamen *ego ipse familiari consuetudine aliquot mensium comperi*, hunc *Laelium Socinum* virum eruditum, iustum, prudentem, pacis publicae amatorem, omni officio diligentem et integrum esse. Hoc verum testimonium ei tribui discedenti, ne quid hoc turbulento tempore suspicionis adferret eius peregrinatio. Literarum et virtutis causa cum viris doctis colloqui solet, Academiarum studia et politiarum exempla considerat, quia hanc considerationem existimat doctrinam esse virtutis. Ac simul honeste colit hospitalia iura. Tali consilio peregrinanti iustum est vicissim hospitalia officia praestare, quae quidem iustitia et Deo grata est, et apud omnes gentes, in quibus intellectus virtutis fuit, laudata est. Nota sunt enim omnibus eruditis ea, quae sapiens antiquitas de iustitia et honestis hospitibus scripsit. Quare omnes honestos viros, ad quos hic *Laelius* veniet, oro, ut etiam propter honestissimas causas privato consilio peregrinantem et pacis amantem ac prorsus alienum a regum et imperiorum negotiis amanter excipiant. Homerus inquit, fratris loco sapientem hominem esse habendum. Sic ego eum complexus sum, nec dubito, honestos et prudentes viros, cum ipsius prudentiam ex familiaribus colloquiis cognoverint et optimos mores considerarint, libenter eum in amicitiam admissuros esse. Oro etiam aeternum patrem Domini nostri, Iesu Christi, conditorem et custodem generis humani, ut hunc *Laelium* custodiat et in itinere et toto vitae tempore, ut iter facientem Iacob custodivit. Bene valete. Datae Vitebergae, die 20. Iunii, anno 1551.

Philippus Melanchthon.

XII. Ex literis Erhardi a Kunheim ad Bullingerum an. 1551. Vitebergae datis [74]).

Laelius Socinus hinc profectus est ad perlustrandam Poloniam, et inde constituit recta redire in patriam.

---

74) Vid. in *Io. Henr. Hottingeri Hist. eccl.* T. IX. p. 437.

XIII. Ex literis Cael. Sec. Curionis ad Abrahamum Sbaski, Cal. Decembr. (a. 1551.) Basilea[75]).

In Italia ingens renovatur bellum propter Senam, Hetruriae urbem clarissimam, a Gallis captam. Patria est *Lelii* nostri, a quo proxime literas accepi, in quibus *Sbaski* humanissimi suavissimam et amantissimam plenamque desiderii mentionem facit, rogatque, ut, si quid de te acceperim, ad eum perscribam. Facit tamen sui ad nos reditus spem.

XIV. Ex literis Melanchthonis ad Camerarium, die Brumae (d. 21. aut 22. Dec.) 1551.[76]).

Laelius scripsit ad me ex Tiguro, et nominatim tibi salutem optat.

XV.[77]) *Literae Melanchthonis. Romanorum Regi, Maximiliano II.*

Serenissime et inclyte Rex, Domine clementissime. Non utar longa excusatione, cur ad R. M. V. scribam. Cognito enim negotio, spero R. M. V. pro sua excellenti bonitate veniam mihi daturam esse. Hic *Laelius Sozinus* natus est in familia nobili Senensi, patre Iurisconsulto clarissimo, Mariano Sozino, qui Pisis, Patavii et Bononiae annos circiter quadraginta Iuris doctrinam tradidit, et honestos homines multarum gentium erudiit, et consilia paci publicae utilia apud multas gentes dedit. Cum autem pater hunc filium Laelium ad Iuris doctrinam assuefacere vellet, adolescens, ut fontes Iuris, videlicet Ius divinum cognosceret, legit Propheticos et Apostolicos libros, quorum lectione cum divinitus traheretur ad veri Dei invocationem et ad omnia pietatis officia, tanto studio sacrorum librorum flagrare coepit, ut et Hebraeam linguam disceret, ut fontes certo cognosceret. Deinde visis Germanorum scriptis, in Ecclesiis Germaniae vivere maluit, ac *mecum amplius triennio vixit*, fuitque mihi eius consuetudo propter eruditionem, pietatem, prudentiam et integritatem in omni officio gratissima. Postquam autem in Italiam, ubi familia eius clara est, fama perlata est, eum versari in nostris Ecclesiis, Inquisitores minari ei supplicia coeperunt, et absentem impediunt, quo minus pa-

---

75) Vid. *Curionis epp.*, adnexae *Fulv. Olymp. Moratae* operibus, p. 341.

76) Vid. *Epp. Mel. ad Camer.* p. 653.

77) *Mel. epp. liber*, Lugd. Bat. p. 2—4.

trimonio frui possit. Nunc confugere ad R. M. V. cogitat. Nec aliud petit, nisi ut Regia M. V. ei literas det tanquam ministro Venetias misso propter negotia quaedam, ut securus ibi esse possit. Cogitat enim de vendendo patrimonio. Hac in re gratum Deo officium praestabit R. V. M., si viro erudito et Deum recte colenti opituletur. Talis autem est eius industria et fides, ut vere etiam R. M. Vae usui esse possit. Scriptum est: *Esto pater orphanorum, tunc magis diliget te Deus, quam diligit te mater tua.* Quid promitti maius potest amore Dei erga nos tanto, qui vincat maternam στοργήν, quae est ardentissima. Hac tanta promissione invitati libentius benefaciamus orphanis honestis, quorum esse usus potest. Maximeque regium est, filiis virorum doctorum, qui leges et iustitiae doctrinam illustrarunt, qui orbati sunt parentibus et cognatis, opem ferre. Talis cum sit *Laelius* et supplex ad R. V. M. confugiat, reverenter oro, ne R. M. V. supplicem in causa pia negligat. Praebuit hospitium *Constans* fugienti *Athanasio* ex Aegypto usque ad Treverim. Ita semper regium fuit, tegere pios contra iniustam saevitiam. Vicissim autem benefaciet Regiae V. M. Deus, et ut R. M. V. vires animi et corporis confirmet, et gubernet et servet eam, ut salutaris sit gubernatio patriae et Ecclesiae, toto eum pectore oro. Datum in urbe Vangionum. Cal. Decembr. Anno cIƆIƆLVII.

XVI. [78]) *Literae Melanchthonis.*

Serenissimo et Inclyto Regi Poloniae, Sigismundo Augusto S. D.

Inclyte et Serenissime Rex. Verissimum est, conservationem societatis humanae et legitimam Regnorum constitutionem et opera Dei esse et testimonia de praesentia Dei in genere humano. Haec magna Dei beneficia considerare virtus est et Deo grata et necessaria ad reverentiam Regum et Imperiorum in animis alendam. Eo autem magis et venerandum Regnum Polonicum, quia semper murus fuit reliquae Europae adversus Tartaros et Turcas, nec intulit bella vicinis Christianis. At Gallici et Germanici Reges mediam Europam et patriam domesticis bellis horribiliter lacerarunt. Singularis igitur gratitudo Regibus Polonicis et nobilissimo Regno Polonico debetur. Quod cum sentiam, vicissim oro, ut R. M. V. clementer meas literas accipiat, quas dedi *Laelio Sozino*, nato in familia vetusta Nobilitatis Senensis, filio clarissimi viri, Mariani Sozini, Iurisconsulti, qui annos amplius quadraginta Iuris

78) Vid. ibidem p. 4 sq.

doctrinam multarum gentium hominibus tradidit, et multa negotia eruditissimis consiliis rexit. Hic *Laelius* cum ad paternum studium se praepararet, ut prius fontes cognosceret, scilicet Ius divinum, studiose legit libros Propheticos et Apostolicos, quorum lectione divinitus in eius pectore accensa est vera Dei agnitio. Ac ut certius et firmius iudicium esset, adiunxit Hebraeae et Graecae linguae cognitionem. Propter haec studia profectus in Germaniam, *mecum amplius triennio vixit*, fuitque mihi eius consuetudo propter ipsius eruditionem, pietatem, prudentiam et in omni officio modestiam pergrata. Est et haec eius virtus inprimis digna laude, quod a furiosis et fanaticis opinionibus alienus est. Cum autem nunc mortuo patre haereditatem petat, impeditur a Sycophantis inquisitoribus propter nostram familiaritatem. Quare ad R. V. M. confugere decrevit. Nec rem iniustam aut difficilem petit. Orat, se Regiae M. V. literis muniri, ut in urbe Veneta tanquam minister R. M. V. securus esse possit. Talis autem est industria et fides eius, ut et R. M. V. in legationibus et multis negotiis usui esse possit, praesertim cum Italia ei nota sit. Reverenter igitur oro R. M. V., ut talem virum supplicem clementer tueatur. Calend. Decembr. Anno cIↃIↃLVII.

XVII. [79]) *Literae Melanchthonis.*

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti D. N. Pfausero, docenti Evangelium fideliter Viennae in Austria.

S. D.

Reverende vir et carissime frater. Non dubito, quin libenter opem feras viris doctis et piis, qui propter confessionem veritatis affliguntur. Quare tibi hunc *Laelium Sozinum*, filium praestantissimi Iurisconsulti, Mariani Sozini, qui diu Bononiae praecipuam autoritatem inter Iuris interpretes habuit, commendo. Literas ei ad inclytum Regem Maximilianum dedi, in quibus nec iniusta res petitur nec difficilis. Impediunt *Laelium* Inquisitores, ne patrimonio frui possit. Cogitat igitur proficisci ad urbem Venetorum, ut ibi de patrimonio cum quibusdam paternis amicis agat. Ut autem ibi securus sit, petit se muniri Regis Maximiliani literis, quod eo velut Regis

---

79) Vid. ibidem p. 369 sq. Tres illas epistolas coniunctim promulgatas sub titulo: *Epistolae tres a Phil. Mel. in favorem Laelii Socini scriptae, editae a Mosero,* Francof. 1730. 8. affert *Io. Carol. Dähnert Academiae Grypeswaldensis bibliotheca*, T. II. Grypeswald. 1775. 4. p. 85.

minister missus sit. Nec de integritate huius viri dubites, *amplius triennio mecum familiariter vixit*, fuitque mihi eius consuetudo propter ipsius eruditionem, pietatem, prudentiam et integritatem in omni officio gratissima. Nec dubito futurum, ut, cum eius sermones plenos eruditionis et prudentiae et honestissimos mores consideraveris, libenter ei tuo iudicio benefacturus sis. Est autem et industria et fides eius talis, ut in legationibus et multis negotiis inclyto Regi usui esse possit. Nam et peregrinationes longinquas non reformidat, et multorum hominum in Italia notitiam habet. Oro igitur, ut hunc *Laelium* inclyto Regi Maximiliano commendes. Bonis viris benefacere etiam publico statui prodest. Velim te etiam in hac re benevolentiam tuam erga me huic *Laelio* declarare. Bene et feliciter vale. In urbe Vangionum, Cal. Decembr. Anni 1557.

XVIII. [80]) *Ex literis Ioannis Wolphii ad Melanchthonem, Tiguro, d. 4. Nov.* 1557.

Sumsi hoc mihi pro mea erga te observantia, quam animo comprehensam constanter fovi, ex quo cum libros tuos primum legi, tum vero te Lipsiae et Vitebergae ipsum vidi, ut ad te, quasi tibi notus ac bene de te meritus essem, sic familiariter et amice literas darem. Sed id, Philippe doctissime, eo libentius feci, quod, qui hasce ad te perfert, est *D. Laelius Socinus*, amicus meus summus et sincerus in Iesu Christo frater. Promisit, se pro eo ac potest atque etiam volet, quae verbis ego meis efferre non possum, coram tibi de mea summa erga te benevolentia commemoraturum esse.

XIX. [81]) *Clarissimo et in omni virtutum genere praestantissimo, D. Henrico Bullingero, tamquam patri observandissimo, Tiguri.*

Clarissime vir et mihi tamquam pater observandissime! Ita abruptum est colloquium, ut res sit reiecta ad proxima Comitia, in quibus melior forma praescribetur. Iam discesserunt omnes. Ego cum Würtembergensibus hucusque vix potui. Quando per valetudinem licebit, quod etiam spero, ante natalem ad vos veniam. Utinam literas vestras accepisset *Melanchthon!* O quam multa inde secuta fuissent commoda reipublicae Christianae! Sed plura de his

80) Ex Simleriana collectione.

81) Ex Simleriana collectione. Hanc tamen epistolam typis iam exaratam vide apud *Orellium* l. c. p. 138.

coram, Deo dante. Interea vos omnes longe melius valete et pro me Dominum orate, qui gravissima affligor tussi, et catarrho oppressus quiescere cogor.

Tubingae, die 8. Decembris, 1557.

Obsecrat filius

Laelius Socinus.

Ex iis nunc, quae disputavimus, non minus quam ex allatis testimoniis sua sponte apparet, nonnulla retractanda, mutanda et corrigenda esse, quae in libello: *Vita Laelii Socini*, de Laelio Vitebergae commorante exposuimus. Pauca hic attingere sufficiat, quod accuratiorem inquisitionem in illud tempus differendam mihi esse duco, quo specimen meum multo emendatius auctiusque in lucem edendum curabo. Sic p. 22. et 29. et Not. 26. falso contendi, Laelium iam anno MDXLVIII. iter suum ad Melanchthonem instituisse. Id ipsum inde collegeram, quod non solum memoratum inveniebam, Laelium an. MDLI. in Poloniam concessisse, antea vero amplius triennio Vitebergae degisse, sed ipsum etiam Melanchthonem in literis an. MDXLIX. ad Camerarium datis animadvertebam Laelii mentionem iniicere Vitebergae iam aliquamdiu versantis; Baumgartneri literas an. MDL. scriptas Laelium Norimberga Vitebergam non secum tulisse censebam, sed ipsi, anno et quod excurrit elapso, missas esse Melanchthoni tradendas; quod autem Laelius dicebatur anno MDL. Forstero Rectori nomen dedisse, id sententiae meae non adversari putabam, aliquod iam tempus ibi eum transegisse suspicans, hoc arctiori vinculo academiae non iunctum. *Deinde* quod p. 23. conieci, Laelium ab initio Melanchthoni suspectum fuisse, quod in doctrina de coena sacra Helvetiorum sententiae faveret, id plane nunc reprobo; nam quae Melanchthon Camerario scribit: *et optarim*, *eum* (Laelium) *in Helvetiis esse*, *ἄλλος γὰρ πρὸς ἄλλην πόλιν τεταγμένος*, hunc modo sensum habere posse, turbulento illo tempore, quo Carolus

V., Imperator, Germanorum Protestantium libertatem evertere minabatur, Laelium in Helvetiis fore tutiorem, Bengelius [82]) ex verbis sequentibus: *Et fortassis aliquanto post nova exilia et ipsi et nobis suscipienda sunt*, non minus acute ostendit, quam, quae in Nota 20. ex literis Melanchthonis ad Brentium datis ad Laelium retuleram, ea ad Antinomos spectare. Nunquam Laelium Melanchthoni in haereseos suspicionem venisse, persuasissimum nunc habeo; nam quanti eum semper Melanchthon fecerit, ex testimoniis supra allatis plus, quam satis est, elucet. Quod autem Lauterbachius [83]) et Strobelius [84]) affirmant, Melanchthonem post annum MDLVII. de falsitate doctrinae Socini multisque eius in Italia sectatoribus certiorem factum, ad senatum Venetum scripsisse eumque admonuisse, ut ab hac secta sibi caveret, id quin ad Servetum et ad annum MDXXXIX. pertineat, nullum est dubium.

Tum quae p. 24 sqq. scripsi, Laelium an. MDXLIX. dubitasse de resurrectione corporis, vera quidem sunt, sed ad illud tamen tempus referenda, priusquam Laelius Vitebergam appulerat.

Denique et hanc sententiam retracto, qua p. 29. Not. 25. censui, Melanchthonem a Stathmione librorum aliquem de motibus et viribus astrorum petiisse iterum sibi mittendum, quem cum Laelio legeret; nam ut ne repetam, quae iam Bengelius [85]) coniecturae meae recte opposuit, ex literis Laelii ad Bullingerum datis [86]) cognovi, eiusmodi librum eo minus hic in censum venire posse, quo magis ipse Laelius Melanchthonem astrologiae studio addictum vituperabat.

---

82) l. c. p. 721 sqq.

83) *Ariano-Socinismus in Polonia* p. 48.

84) in *Riederers Abhandlungen* etc. p. 437.

85) l. c. p. 724 sq.

86) Vid. supra p. 19. No. V.

Sed haec hactenus. Superest, ut significem, quod iucundissimam mihi haec scribendi occasionem obtulit. Contigit nempe, ut REX SERENISSIMUS ac POTENTISSIMUS, FRIDERICUS AUGUSTUS, quem omnes Saxones tanquam Patrem Patriae pio animo colimus atque veneramur, per Viros Summos, quibus academiae Lipsiensis cura concredita est, mihi, inde ab anno MDCCCXVIII. Philosophiam et ab anno MDCCCXXIII. Theologiam extra Ordinem publice professo, superiori anno Ordinariam Theologiae Professionem in hac ipsa literarum sede indulgentissime demandaret. Quod novum munus perhonorificum proximo die XVIII. Martii auspicaturus recitanda oratione solemni, obstrictum tanti beneficii Auctoribus devinctumque animum meum palam declarabo, quando pauca *de cautionibus*, *quae adhibendae sint in exponendis aliorum de religione sententiis* fuero praefatus. Quam solemnitatem ut VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, ILLUSTRISSIMI COMITES, PROCERES UTRIUSQUE CIVITATIS GRAVISSIMI, LITERARUM BONARUM FAUTORES OPTIMI, COMMILITONES denique HUMANISSIMI ET ORNATISSIMI praesentia Vestra condecorare velitis, omni pietate et observantia rogo.

P. P. in Universitate Literarum Lipsiensi Dom. Iudica
A. R. S. MDCCCXXVI.

CORRIGENDA.

In Particula I:

Pag. VI. lin. 6. pro *eruere* lege *eruerem.*
— 9. lin. 3. dele *non.*
— 17. lin. 13. pro *plura* lege *plures.*
— 18. lin. 4. dele *vix.*
— 24. Not. 22. lin. 2. pro *Latinae* lege *Latine.*
— 29. lin. 5. pro *fuerit* lege *fuisset.*
— 56. lin. 11. dele *sibi.*
— 66. lin. 13. pro *persuadearis* lege *persuadeatur.*
— 69. Not. lin. 3. pro *societat* lege *societate.*
— 72. lin. 11. dele *in.*
— 82. lin. 12. pro *vertendum* lege *vertenda.*
— 87. lin. 17. pro *Camilus* lege *Camillus.*

In Particula II:

Pag. 5. lin. 7. dele *esse*, et pro *ac* lege *eandemque.*
— 6. lin. 9. pro *XVIII. Jul.* lege *XIX. Jul.*
— 10. lin. 18. pro *nequeat* lege *queat.*
— 27. lin. 6. pro *tulis* lege *talis.*

un

Z

BT
W70
2

LIBRARY OF CONGRESS
0 022 168 984 7